

Sammelband

Box 104.

7.
TRIARIORUM
CHILLIAS,

Sive,
EPIGRAMMATUM
PIORUM
LIBRI III.

Accesserunt
TRIARII SUCCEN-
TURIATI,

Sive
Epigrammatum piorum
LIBRI IV.

Seorsim editi,
A U T H O R E
GUILIELMO ALARDO P.L.
Pastore Crempensi.

L I P S I Æ,
Sumptibus Hæredum Henningi Grosij Jun.
Excudebat Johannes-Albertus Minzelius.

177
Anno M. DC. XXVI.

g. H. gem.



ELENCHUS EO-
RUM QUÆ HIS LI-
bellis continentur.

LIBER I.

*Est ex verbis Christi, & S.
Apostolorum.*

LIBER II.

*Ex verbis S. S. Patrum Or-
thodoxorum.*

LIBER III.

Miscellaneorum.

EPI-



EPIGRAM-
MATUM PIO-
RUM

LIBER I.

*Ex verbis Christi, & S. Apo-
stolorum.*

A Gene



Generoso, Magnificoq; Viro,
Splendore generis, Eruditione &
auctoritate Præstantissimo

Dn. LUCÆ Langenman-
tel/ vom Sparren.

SERENISSIMI PRIN-
CIPIS BRUNSVICENSIS CON-
siliario, & arcis Calenbergensis
Præfecto, ac Judici su-
premo, &c.

Domino & Amico meo
honorando.

*S. Celebratissimum apud vete-
res est Proverbiū, τὰ τ̄ φίλων
κοινὰ. Quod quanquam ad res
pluri-*

plurimas sese quàm latissimè extendat; Theophrastus tamen, apud Plutarchum, $\omega\epsilon\iota$ φιλαδελφίας, ad amicitiam etiam cum primis restringendum esse, non incommodè existimavit, ubi inquit: $\epsilon\iota$ κοινὰ τὰ φίλων ἴσθι, μάλιστα δὲ κοινὰς τὸ φίλων εἶναι τὰς φίλους. Hac sane ego sententia maximè sepius delectatus sum. Atq; idcirco eos, cum quibus fratri meo Germano, $\epsilon\sigma\tau$ unico, usus familiaritatis intercedit, jure communionis istius in amicitia, pro meis etiam colui, $\epsilon\sigma\tau$ veneratus sum amicis. Inter quos tu, vir Nobilissime, atque Præstantissime, primum

locum tenes, & Chorum ducis.
 Cùm enim, cum fratre meo Fran-
 cisco Alardo, in Julia olim Aca-
 demia ceptam, hætenus tot an-
 nos constantissimè colueris ami-
 citiam: Et proinde tui memori-
 am perquam honorificam, vel
 sexcenties ipse apud me fecerit;
 teq; virum, & genere, & pietate,
 & literis nobilissimum, amico-
 rum suorum Alpha, summa ob-
 servantia & amore, maximo tuo
 merito prosequatur: ego sanè ab
 istius vestra amicitia participa-
 tione me etiam non prorsus rele-
 gatum aut seclusum esse, paræ-
 miæ veteris iudicio, persuasum
 hæte-

hactenus mihi habui. Atq; hanc
ob causam, Magnifice & Amplif-
sime vir, ad M. V. quam tacito
honoris & amoris adfectu jam
ante colo & veneror, literarum
aliquid dare, atq; in eiusdem be-
nevolentiam atq; favore, quan-
tâ possem observantia, me insi-
nuare non semel animatus fui.
Spe suffultus haut dubiâ fore, ut
pro insigni vestra humanitate,
atque in omnes bonos adfectu e-
gregio, favoris atq; amicitie ve-
stræ fores nō irritò planè conatu
pulsarem. Quanquam autem,
quod minùs id ante hac præstite-
rim, pudor atq; verecundia mea

A 4

huc-

bucusque me prohibuerint: Tandem tamen hoc quicquid est obstacula, pervici, atque publice, quod privatim saepius tentare minatus sum, effectum dare, animum induxi. Ac ne nuda, quod ajunt, manu ad limina vestra accederem; TRECENTA hæc Epigrammata, ex verbis Christi, & Apostolorum M. V. exhibere, atque magnâ cum observantiâ dedicare volui. Obnixè, majorem in modum rogans; ut munusculum hoc levidense, æqui boniq; consulere, atque animum magis donantis benevolum, quàm ipsius muneris quantita-

tita-

titatem pensare, meq; inter virtutis ac pietatis tuae amatores atque cultores recipere nolis dedignari. Quod, si egregiam animi tui adfectionem erga me, meaq; carmina, qualiacunque, quam aliquoties in literis tuis ad Fratrem meum charissimum, haut dubiis declarare voluisti indicis, considero: haut gravatim te facturum plane confido. Quod si fiducia isthac me non frustrata fuerit; ad plura & majora, in hoc aliorumque studiorum genere, calcaria te mihi subdidisse, DEO conatibus meis clementer adspirante, re ipsa experie-

— A S — perie-

*perieris. Vale, Generose atque
Magnifice vir, Studiorum Mæ-
cenas nobilissime, cum generosa
tua Coniuge, quàm felicissimè.
Dabam Crempis Regiis Holsa-
torum. Prid. Calend. April. An-
no à nato Redemtore, quem hu-
jus symboli literulæ exprimunt:*

CHRISTVS ADIVTOR MEVS.

*Nobiliss. Magnif. vestra Ob-
servantissimus*

**Gvilielmus Alardus,
Pastor.**

JUDE



JUDICIA DOCTIS-
SIMORUM VI-
RORUM

*Magnificus, Nobilissimus & lite-
ratissimus Vir, Dn. Lucas Langen-
mantel vom Sparren: Illustrissi-
mi Principis Brunsvicensis Præse-
tus in arce Calenberg. in
literis suis.*

AD

Dn. Franciscum Alardum fratrem
meum, Anno Dom. clō lō cxiii.
à d. 17 Kal. Febr.

FRATER tuus Gvilielmus, utinam spei
nostræ de pluribus ingenii scetibus
satisfaciat. Satisfaciet eadem & pie-
tati, &

A 6

tati, &

tati, & Genii sui immortalitati. Tu, qui
 ætate ipso prior es, hortare fratrem;
 quem propter te, & pia, suavissimaque
 carmina, etiam facie ignotum, amo.

*Magnificus, Nobilissimus, & li-
 teratissimus Vir, Dn. Oligerus G. Ro-
 senkrantzius in Rosenholm, & c. in
 suis ad me literis.*

Religiosè docte mi Alarde, ex quo
 vigilantem adeò te excubias pro
 gloria Christi Jesu nostri agere, non mo-
 dò ex concisioribus juxta ac nervosio-
 ribus Anacreonticis illis tuis, verum et-
 iam ex pientissimis illis tuis Nominis
 dulcissimi ac unicè salvifici Jesu medi-
 tationibus deprehendi: Sapissimè equi-
 dem optavi, ullam mihi unquam offerri
 posse commoditatem, quâ coràm te con-
 venire, oribusque ora simul, ac cordibus
 jungentes corda, unà Christum Jesum
 nostrum mutuâ *συμπεροκλήσει ἐν ἱερογυρίαις*
 glorificare possimus. Quocirca, cùm die
 crasti-

crastina Bredenbergam iter instituere
 necesse habeam, hic autem Rendesburgi
 intellexerim, inde Crempas vestras pro-
 pius distare, praesente hoc internuncio
 peramicè te rogatum velim, ibidem loci,
 obvius mihi fieri ne degraveris. Feceris
 mihi nomine eo beneficium perquam
 desideratum, cui officii & studiis vicif-
 sim quibusq; meis respondere promptis-
 simus elaborabo. Vale interea *διλογία*
πνευματικῆ divinæ in Christo Jesu religio-
 sissimè cum tuis omnibus commenda-
 tus. Rendesburgo VIII. Julii, M. D.
 CXIV. festinus sub noctem

deproperabam

Oligerus G. Rosenkrantz
 mea manu.

A 7

M A



Magnificus, Nobilissimus, Clarissimusq; vir Dn. Christianus, Theodorus Schösserus, Phil. & Med. D. Comes Palat. Illustriss. Princ. Brandeb. Historicus.

TE ceu fraterno, VIR CLARE, amplector amore,
 O Aganippea fama perennis aquæ.
 Undiq; Mæonii nam carminis alite V A T U M
 Clarorum volitas docta per ora virum.
 Quod si Mnemosyne miratur carmina Sapphus,
 Ingeniique effert nobilioris opus:
 Quis tua non merito, G V I L I E L M E, poemata
 laudet,
 Quæ caneret Claria Cynthius ipse lyra?
 Felix, qui ingenii monumentis pingere mentem
 Novit; & absentum flectere corda metris.

Salve, Clarissime Alarde, à Schössero planè tuo, qui te ob singularem eruditionem, & artis Poëticæ excellentiam veneratur, & eâ qua decet observantia prosequitur.

IDEM.



I D E M.

O G V I L I E L M E, jubar regni palmare No-
veni,

Cui dignè adsurgit Musica tota cohors.
Dum vis ut lucem tua docta poemata cernant,
Grator, & est animi pars ea magna mei.
Gratulor & Musis aucta quod vate secundo,
Cui Patareus cinxit fronde virente caput.
Auguror, A L A R D I monumenta operosa Poëta
Durabunt, donec templa Heliconis erunt.



Reve



Reverendus, Clarissimus, Do-
ctissimusq; Vir Eilhardus Lubinus, SS.
Theol. Doctor, & in Academia Rosto-
china Professor, p. in suis ad
me literis.

S Quod amicitiae tuae fores tam auda-
 ceter pulso, vir Revende, ac Praestan-
 tissime, amice ac frater in Christo hono-
 rande, meae de tua humanitate ac bene-
 volentia toties jam dudum mihi praedi-
 catae praeclarae confidentiae imputes ve-
 lim. Confirmat illum jam Deus sua pro-
 videntia, qua ille arctissimum inter nos
 adfinitatis vinculum meditatus est, san-
 cito inter nepotem tuum Magistr. Fran-
 ciscum Vorstium, & adfinem meam
 Virginem Annam Laurenbergiam con-
 jugio, cui ipse autor & auspex benedicat.
 Ego vero de adfinitate tam praestantissi-
 morum

morum virorum ex animo mihi gratu-
 lor, inter quos tu inter primos merito
 tuo mihi haberis, quem tacito honoris &
 amoris adfectu jam - antè colo & vene-
 ror dudum, ex quo ex publicis ingenii
 tui monumentis te intellexi inter illos
 chorum ducere, quorum tempora, illa
 multis prostituta, sed paucis debita, cin-
 git jure ac merito suo Phœbea illa lau-
 rus. Hujus mei erga te adfectus, mi Alar-
 de, Specimen exstare volui hanc Episto-
 lam. Cujus extemporaneæ scriptionis
 rudi brevitati quamvis optem te igno-
 scere, optem tamen inde agnoscere præ-
 claram animi mei erga te adfectionem,
 qua tuæ virtutis & eruditionis cultor
 ero, donec ero, vivam & moriar, &c.

Reve-



Reverendus, Doctissimus, Humanissimusq; Vir M. Nicolaus Freitagius, Ecclesiae Atrendorffiensis Pastor, vicinarumq; Superintendens, in suis ad me literis.

S Reverende Domine Pastor, amice & frater in Christo Domino nostro honorande, &c.

Facie quidem mihi es incognitus, fama verò mihi adprimè cognitus. Ante annos plus minus octo, pestiferà lue perturbatus, non parvo cum fructu legi doctissimam tuam Panaceam sacram.

Deinde eruditissimas in Psal. 65. explicationes. Accesserunt postea Jambis tui dulcissimi, ex quibus nonnulli in Natalitio, Angelorum, & aliorum festis, juventuti nostræ Scholasticæ sunt ediscendi propositi. Tandem in Francofurtensi

Cata-

Catalogo nuper Nomen super omne no-
 men Jesus, cujus copia haecenus mihi
 non est facta, inveni. Exemplar ut spero,
 brevi Hamburgo mittet M. Frobenius.
 Merito itaq; te absentem, incognitumq;
 haecenus amore tacito sum profecutus;
 teque inter viros doctos & in religione
 synceros semper magni feci. Verum
 enimverò te non solum, sed etiam Opti-
 mum illum, & de Ecclesia Christi prae-
 clarè meritum virum, Parentem scilicet
 tuum p. m. qui mihi ante annos circiter
 triginta. à magno & constanti illo Theo-
 logo, Domino Johanne Ligario, de opti-
 ma nota est commendatus. Hujus scri-
 ptum contra Flacianos adhuc in mea est
 manu; Sed hæc abrumpo; ne in os te
 laudare videar, &c.

Reve-

Reverendus, Doctissimus, Hu-
manissimusq; vir, M. Michaël Boë-
tius Pastor VVylstriensis.

In Sacros sacrorum Epigramma-
tum libros, Rever. Clariss. & Doct.
viri Dn. Gvilielmi Alardi,
P.C. & P.L.

Sicut apis peragrat fragrantibus hortos,
Unde legat positis dulcia mella favis:
Mente salutiferum cupidâ sic permeat hortum
ALARDUS, verbi, maxime CHRISTE, tui.
Indeq; caelestem divini Nectaris imbrem
Libat, & in purum mel pia vertit apis.
Adde, quod & Patrum perlustrat florida Tempe,
Atq; sui juris, qua legit inde, facit.
Quid memorem varios collectos undiq; flores,
Quis decorat summâ hunc dexteritate librum?
Ergo piis meritò cunctis liber iste probatur,
Dum magnas mirâ res brevitate tenet.
Et tu qui legis hunc, vitam prece, remq; Poëta
Commenda aeterno, qui regit astra, Deo.

Dic

dic mecum : vivat longo dignissimus aeo

AIARDUS, vera vir pietatis amans.

et calamo docto, doctoque fideliter ore

Promoveat sancta religionis opus.



Reverendus, Doctissimus, Huma-

nissimusque vir M. Andreas Craco-

vius, Pastor Buzoviensis,

Anno 1616.

*N*escio quas grates, vel quae tibi dona rependam,

O ingens Charitum Pieridumque decus.

Nam mihi tale tuum visum est, doctissime, carmen,

Quale canit vernas inter Acanthis aves.

Dulce boni celebras mellitum nomen IESU,

Omnia quod nobis Lux, DECUS & REQUIES.

Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons :

Castus amor, tutum praesidiumque piis.

Nec te Sedulius nec nostro Spinula seculo

Vincit, sic JESUM pectore & ore canis,

Quin merito clara GUILIELMI voce notaris,

Nomen transversum, quod geris, istud habens.

Nec tibi nascenti dedit hoc sine FLAMINE ma-


ter,

Aut capta ambigui sortibus Augurii.

Scd

Dic

*Sed tibi felici VIGILEMUS sidera fato
Fulserunt : partes CENTURIONIS agis.*



CLARISSIMUS, CON-
SULTISSIMUSQUE VIR Dn^{ma}
Christophorus Schvvanemannus, Re^{vi}
publ. Buxtehudaenæ Syndicus de
Excubiis meis,

Quem nunquam vidi, te nunc, GVILIELME
saluto,

OGVILIEIME tua gloria prima domus,
EXCUBIAS legi, vatis miratus acumen,

In JAMBIS dixi vix habet ille parem.

Scilicet in PURIS, REX est ALARDUS
IAMBIS:

Perge DEO, restat COELI-CORONA tibi,
Non opus est hominis divinum condere carmen,
Sedibus æthereis Spiritus iste venit.

Juribus addictus noctes ego carmine condo,
Scribimus in medio carmina nata toro.

Inde tibi sacro de sacris mitto Poëta;

Judicium CYGNO carmine redde tuum.

Vive, valeq; diu CYGNANDRI semper-amicus:

ALARDI CYGNUS semper-amicus exit.

Clarif-

agis.

 O N. *Clarissimus, Doctissimus, Hu-*
 Dn. *manissimusq; vir, M. Johannes Hus-*
 Rei. *vvedelius: in Academia Rostochiensis Ethic-*
 de *es Professor P. & c. in suis ad*
me literis.

L M E
 mūs
 D U S
 bi
 n
 cus
 larif
Versus tuos certè pios & jucundos
 singulari cum prolubio percurri:
 nec passa est eorum elegantia, ut prius è
 manibus deponerem, quàm absolvissem.
 Nunc eos remitto. Quid eos domi te-
 nes? fac, ut in manibus nostris versetur
 etiam pius aliquis, nec minus elegans va-
 tes, quem pueri legere audeant, adulti
 etiam gaudeant. Excubias tuo beneficio
 jampridem possideo, non & Anacreon-
 tem, si editus est, fac copiam, ut & horum
 Epigrammatum, & quicquid hujus notæ
 deinceps publico donabis, &c.

Vvil-

Wilhelmus Alardus, Theol.

ἀναγραμματισμῶν.

RUS DEI ALLEVO, THUS
SUGO; ULLAM.

Applicatio Anagrammatis.

*S*unt varii agricola, varia est cultura, solumq;
Est varium, varium tum quoq; semen agri.
Præ reliquis tamen illa mihi cultura probatur,
Si quis sit, Jovæ qui sacra rura colat.
ALLEVO tale DEI RUS, allevo semina ruris,
Dum SUGO è verbo THUS oleumq; sacro.
Hoc rus ritè peto; reliquas dum linquo nec ULLAM
Hic nisi culturam curo coloq; sacram.
Et benè. Nam posthac me præmia magna manebunt,

Ruricolis tribuis quæ, bone Christe, tuis.

M. Martinus Hohenstein
Argent. φίλιος f.

Prosper Tyro Aquitanicus.

*N*on nostrum hoc opus est: sed ab illo sumitur hic
ros,

Qui siccam rupem fundere jussit aquas,
Ut quod in affectum cordis pietate magistra
Venerit: hoc promat carmina lata fides.

E P I-



**EPIGRAM-
MATUM PIO-
RUM**

LIBER I.

**Ex verbis Christi, & Apo-
stolorum.**

1 Dominica I. Adventus: Matt. 21.

Clastra reve. lute, pectora pandite, Christus ut
intret:

Dicat & intranti quisq; Hosanna pius.

2 Rex pauper: Zachar. 9.

Ne tibi Rex vili sordescat pauper a fello:

Auxilio dives, justitiaq; venit.

3 Christus rex cœlestis: Matt. 21.

Rex a sinâ regum Solymam cur vectus ad urbem est?

Non gerit ille solo sceptrum sed arce poli.

B

Chr-i

4 Christus asino vectus, Matth. 21.

Ut Solyman vehitur Rex regum Christus asello ;
 Non magè quo brutum noscitur esse pecus.
 Sic homines brutis similes reputantur asellis,
 Pectore qui regem hunc simpliciore vehunt.
 Verùm simplicitas modo Christo nostra probetur ;
 Nos asinos mundus si putet esse, parum est.

5 Ad Christum, Matth. 21. Zach. 9.

Christe, ades, & nostri penetralia pectoris hospes,
Quo mihi nemo potest gratior esse, subì.
Me tua paupertas ditet ; tua iustitia ornet :
Mors tua vivificet, gratia ad astra vehat.

6 Andreas, Matth. 4.

Fidos, Christe, vocas, mittisq; animasq; docentes :
 Qui veram monstrent ad tua regna viam.
 Discenti vires, & vires adde docenti,
 Qui potes : & rectum quisq; sequatur iter.

7 Domin. 2. Advent. Luc. 21.

Si terram simul, & simul aquora, & aethera spectes :
 Agnosces summam non procul esse diem.

8 Anxietas gentium, Luc. 21.

Quid sibi tot lachryma, certi prasagia luctus ?
 Tot gemitus miseri pectoris exenbie ?

Tot sibi quid planctus? tot quid sine fine querella?
 Quis fora, templa, domus, hic alibiq; strepunt.
 Sunt ea, crede mihi, suprema signa diei,
 Totius in cineres quâ ruet orbis opus.
Christe, redi; redituq; tuo solare gementes:
Atq; tot è lachrymis trans; et ad astra tuos.

9 Verbum Dei, Luc. 21.

Sint peritura licet cælumq;, solumq;, salumq;:
Verba tamen nunquam sunt peritura Dei.

10 Aliter.

Orbis hic, & quicquid capit orbis hic, omne peribit:
Verba Dei, & verbis qui stetit, usq; manent.

11 Domin. 3. Advent. Matth. 11.

Qui venturus eras, venisti, Christe, redemptor,
 Id tua verba docent; id tua facta probant.

12 Miracula Christi, Matth. 11.

Quod Christus, vatum promissus voce redemptor,
 Venerit, hoc factis prodit, & ore docet.
 Nam cæco visus, surdo auris redditur usus;
 Claudi agiles Christo membra medente movent,
 Cedit ab immundis fæda contagio lepra;
 Defunctis ipso vita jubente redit.
 Vox Evangelii miserorum pectora mulcet,
 Criminis & veniam qui resipiscit, habet.

*Non igitur specie despectu offendere Christi:
Sed dubiam indicis tot stabilito fidem.*

13 **Dominic. 4. Advent. Joan. 1.**

*Fluminis irriguo baptizat rore Iohannes:
Æthereo Christus flaminis igne lavat.*

14 **Synagogæ de adventu Messiaë
testimonium.**

*Dum Christi titulum desert Synagoga Iohanni,
Messiaë factò hoc tempus adesse probat.
Ergò quid exspectas alium, Iudæe, refutet
Exemplo tua te cum synagoga suo?*

15 **Ad Christum. Johan. 1.**

*Da mihi constanti te pectore, Christe, fateri:
Et nullis mundi cedere blanditiis.*

16 **Thomas. Johan. 20.**

*Tangere quid manibus, quid cernere quaris ocellis,
Absq; manu atq; oculis quod videt una fides?*

17 **Natalis Christi. Luc. 2.**

*Immanuel casta de virgine nascitur infans,
Angelicus natum nunciat esse chorus.
Implicitum pannis puerum, fænoq; jacentem,
Bethlemâ pastor letus in urbe videt.
Exsultemus, jo! NOBIS puer editus iste est;
Cælitus est NOBIS filius iste datus.*

Nuncius

18 Nuncius cœlestis, Luc. 2.

Nuncia quis cœlo nova fert? bonus Angelus. Ecquid

Nunciat? ingentis júbila lætitiæ.

Vndè ea lætitiæ est? Rex est novus editus infans.

Rex quis hic est? Magni Davidis ille nepos.

Quæ mater peperit? Virgo pulcherrima. Sed quis

Hunc genuit Pater? Hic non habet orbe patrem.

Ergo nê Patre caret? Terreno nempe. Parentem

Agnoscit nê alium? Scilicet ætherium.

Sed qualis puer est gemina hac ab origine natus?

Ducit utrinq; genus: Nempe homo, nempe Deus.

Sunt nê igitur duo? Non, sed Homoq; Deusq; Re-

demtor

Sunt unus; juncti fœdere mirifico.

Mira canis. Sed cur puer est hic Homoq; Deusq;?

Nostra ita poscebat nempe salutis opus.

Quod mihi opus memoras? Pro crimine victima

nostro

Quo factus, subiit jura cruenta necis.

19 De Christo Rege seculorum.

Quis Bethla natus puer est? Rex totius orbis.

Arx orbis regi est regia quæ? Stabulum.

Quis regi thronus est? Thronus est Praesepe, Satelles

Quis regi? Brutum Bos, asinusq; pecus.

Sed quæ vestis ei est? vilis dat fascia vestem.

Quis torus est? præbent gramen & herba torum.

30 EPIGRAMM. PIORUM

*Quod diadema? Rubus diadema parabit adulto,
Quod sceptrum? Sceptrum putris arundo dabit.
Dic, age, quid tali doceat rex iste paratu?
Non hominum regnet, quod ratione docet.
Et nil prater ea docet? immò odisse superbos
Se docet, atq; humiles magnificare pios.*

20 Stephanus Primicerius Marty-
rum, Actor. 6.

*Intrepido Christum confessus pectore, mortem,
Martyrii Stephanus prima corona, tulit.*

21 Idem Stephanus, Actor. 6. 7.

*Quid tum, iudicio mundi si damner iniquo?
Quid tum, si saxis obruar innumeris?
Cum sacra caelorum mihi claustra patefcere cernam,
Cum videam à dextris te, pie Christe, Dei.*

22 Gallina matrix, Matth. 23.

*Ut pullos gallina suis complectitur alis,
Unguibus & tutos praestat ab accipitris:
Sic sibi fidentes Christus fovet atq; tuetur;
Tartarei contra vulturis insidias.
Illius o igitur properent, penetrentq; sub alas,
Qui pullis fragiles sunt miseriq; magis.*

23 Johannes Evangelista, Johan. 21.

*Quid spectas alios? Quod iussus es, hoc age, & illam,
Quam te fata jubent currere, curre viam.*

Inno-

24 Innocentes ad Herodem,
Matth. 2.

Quis furor est teneras ferro jugulare bidentes?
Maectare innocuos quis furor est pueros?
Quem petis, ille tuis evasit ab unguibus Agnus?
I nunc & Christum dedere quare neci.

25 Simeon & Hanna, Luc. 2.

De Christo Simeon testatur, & Hanna, Redemptor
A patre quod populis omnibus ille datus.

26 Circumcisio, Luc. 2.

Legis onus, legisq; minas pro fontibus, in fontis
Christe, subis: Jesum te satis inde probas,

27 Nomen Jesu.

O nomen, miseris super omnia amabile Jesu,
O nomen, nihil est quo magè dulce reis.
Per te parta salus, per te data gratia nobis;
Per te clausa prius cœlica regna patent.

28 Omnibus omnia Jesus.

Omnia Jesus erit tibi, & omnibus omnia Jesus,
Hunc modo si firmâ speq; fideq; colas.
Si lytron contra peccati debita quaris?
Sufficiens Jesu sanguine lytron habes.
Justitiam contra legis maledicta requiris?
Justitiam in Jesu nomine dives habes.

32 EPIGRAMM. PIORUM

Mortis amaritiem contra si pharmacon optas :
Pharmacon hoc JESU nobile nomen habet.

Si poscis contra Plutonis spicula scutum :

Pro scuto JESU nobile nomen erit.

Expetis antidotum, Mundi cum blanda voluptas

Pellicit ? Antidotum nobile JESUS erit.

Patronumne Dei quaris reus ante tribunal ?

Hic tibi Patronus certus Iesus erit.

In tenebris lumen petis ? est tibi lumen Iesus ;

Fessus es ? est fessio Jesus amica quies.

Si sitis urget ? Aquam vitam te potat Iesus,

Si premit agra fames ? panis Iesus erit.

Exsul es ? exsilio comitem se prabet Iesus,

Ad latus est Jesus vincula quando subis.

Orphanus es ? Pater est, Tutorque fidelis Iesus :

Aeger es ? est Jesus certa medela tibi.

Exoptas sevo jaetatus turbine portum ?

In quovis Jesus turbine portus erit.

Ad vitam in media suspiras morte beatam ?

Vita tibi in medio funere Jesus erit.

Omnia sic Jesus tibi: Et omnibus omnia Jesus,

Si quis ei fido pectore adheret, erit.

29 Christus Exsul. Matt. 2.

Exsul in exsilio confidat in exsule Christo :

Hujus in exsilio promptum erit auxilium.

30 Aliter.

Exsul erat Christus, quisquis comes exsulis hujus

Exulat, auxilium sentit in exsilio.

Magi-

31 Magi. Matth. 2.

Ex Oriente Magi sua portant munera Christo,
 Aurum, Thus, Myrrham, Regi, Homini, atq; Deo.
 Eheu, quàm paucis Christum nunc quærere cordi
 est!

Eheu, quàm rari huic nunc sua dona ferunt!

32 Epiphania. Matth. 2.

Quæ nova lux? Nova stella, novi prænuncia Regis:

Quò vocat? ad Bethles mania parva vocat.

Quos vocat illa? Magos gentili semine natos:

Cur vocat? his Christum nunciat esse datum.

Hicne Magis tantum datus est? Non, sed quoque
 cunctis,

Sunt quot ab Iapeto progenitore sati.

Ergò mihi puer hic datus est quoq;? Credito: Namq;

Omnibus est, credunt quotquot in orbe, datus.

Sed monstraret iter mihi si lux illa Magorum?

Pulchrior ad Christum lux tibi signat iter.

Lux ea quæ? Lux hæc celestis candida verbi est;

Hanc sequere, ad Christum nam præit illa viam.

33 Domin. 1. Epiph. Luc. 2.

Spes tua si Christus sit perdita; quære; repertum

Quærenti in sacra se dabit ad te tibi.

B §

Christi

34 **EPIGRAMM. PIORUM**

34 **Christi Pietas, Luc. 2.**

*Christus in his summi quæ sunt, cupit esse parentis :
Nos & in his, summi quæ patris esse decet.*

35 **Christi obedientis exemplum,
Luc. 2.**

*Christum imitare; Deum venerare; verere parentes:
Sic annis cresces & pietate, puer.*

36 **Ad Christum, Luc. 2.**

*Terreno subdi voluisti, Christe, parenti,
Qui regis omnipotens astra, solumq; Deus,
Discat ut exemplo parere parentibus esto,
De vili terra pulvere factus homo.
Da precor, imprimis velit ut parere juventa;
Impatiens patrium ferre juventa jugum.*

37 **Domin. 2. Epiph. Johan. 2.**

*Et probat, & castas cohonestat munere tædas :
Qui lympham mutat nobiliore mero.*

38 **Architriclinus, Johan. 2.**

*Dulce merum mundus primò, post vile propinat :
Vile prius Christus; dulce dat inde merum.*

39 **Nondum venit hora mea,
Johan. 2.**

*Exoptata licet tua nondum venerit hora,
Illa tamen veniet, cum tibi, Christe places.*

Aliter.

40

Aliter.

Si nondum venit, veniet tamen hora, Redemptor,
 In mera quâ vertes júbila flentis aquas.
 Scilicet aetherias nos quando vocabis ad arces;
 Vera ubi sunt nullis gaudia mista malis.

41

Ad Jesum Christum, Jo-
han. 2.

Christe, mihi atq; mea dulcissime Conjugis hospes,
 Quo mihi non unquam gratior hospes erit.
 Gratia sit tibi, quod nostri mœroris acetum
 Mutasti toties nobiliore mero.
 Post planctum plausum, post nubila júbila reddens,
 Post lachrymas grata gaudia lata vice.
 Cana habuit Galilæa semel, te dante, falernum
 Et tibi pro tanto munere grata fuit.
 Ergo tibi quantas ego, Jesu, debeo grates,
 Dulce dedit toties cunctua dextra merum?

42

Ad eundem, Johan. 2.

Deficit, ecce! iterum, Jesu dulcissime, vinum,
 Inq; meri subiit tristior unda locum.
 Que replet ad summum vas agri pectoris; ista
 Tot satis ab lachryma quod gemitusq; probant.
 Tu fer opem nostri pie pectoris hospes, Jesu,
 Proq; undâ, facile est quod tibi, redde merum.
 Redde merum: Gemitusq; tuo solamine nostros,
 Non pote quo vinum dulcius esse, leva.

B 6

Sed

*Sed, Mihi Quid Tecum Est, respondes: quâ mihi
voce*

Quod tonitru auditu durius esse queat?

*At Mecum Tibi permultum est, multum Mihi Te-
cum est,*

Christe; caro tua sum, tu mea, Christe, caro.

Tu Pater, & Pastor meus es, tu Vita, Salusq̃:

Tu mea spes, omnis Fonsq̃, Caputq̃ boni.

*Nonne igitur mecum tibi multum est? nonne faler-
num*

Pro mirroris aqua te dare, Christe, decet?

43 *Domin. 3. Epiphan. Matth. 8.*

Leproso presens, & seruo militis absens,

Omnipotens Christi dextera prestat opem.

44 *Leprosus. Matth. 8.*

Nil tibi prescribo, sed nec tibi derogo quicquam:

Si mala nostra voles, Christe, levare potes.

45 *Aliter.*

Non dubito, nunquam dubitavi, nec dubitabo;

Num, pie, nostra Queas, Christe, levare mala:

Sed dubita num nostra Velis mala, Christe, levare;

Hoc est, an nobis Utile id esse putes.

Ergo voluntati subjecta erit usque voluntas

Nostratue; Si vis, Christe, juvare Potes.

Ad

46 Ad Jesum Christum, Matt. 8.

*Solis ab Occasu gentes, & solis ab ortu
 Accenses epulis, Christe benigne, tuis.
 Ut magnos inter Patriarchas atq; Prophetas,
 Participent vitæ gaudia perpetua.
 Annè ergò excludis gelida nos, Christe, sub Arcto;
 Quos vicina polo Mænalis Vr̄sa videt?
 Non equidem puto. Sit tibi maxima gratia, Jesu,
 Nos quoq; quod miseros ad tua regna vocas.
 Nec quemquam excludis, nisi qui se exclusit ipse;
 Nec rata ad has epulas jussu vocantis habet.
 O mihi da pergam penetrèmq; per omnia; regna
 Ad tua pergentis que remorantur iter.
 O mihi da properem; properare nec ante remittam,
 Quam lateri Abrami jungar in arce poli.*

47 Centurio. Matth. 8.

*Non sum dignus ego, non sum, Jesu optime, dignus;
 Pectoris ut subeas sordida tecta mei.
 O verbum modò, dic unum, sanabitur inde
 Mens mea, & adflicta vulnus atrox anima.*

48 Domin. 4. Epiph. Matth. 8.

*Christe, ratis tua, nostra fides, utrinq; laborat;
 Inq; necaturis naufraga arhelat aquis.
 Siste Notos, motosq; sali compeste furores;
 Qui mare, qui ventos, astra, solumq; regis.*

49

Navicula CHRISTI,
Matth. 8.

Cum gemeret tua cymba gravi jaectata procella;
Et jam navis fragis obrueretur aquis.
Visus es utramvis dormire, Redemptor, in aurem:
Atque tua curam deposuisses ratis.
Mox tamen excitus somno clamore tuorum,
Dixisti rapidis, ite, silete, Notis.
Nunc etiam variis Ecclesia moesta procellis
Obruta, naufragii langvet anhelata metu.
Tuq; tui gregis ad gemitus dormire videris,
Christe, tot & surda respuere aure preces.
Sed taceas licet, haust tamen usq; tacebis, Iesus;
Nec somno semper deditus esse voles.

50 Venti & mare obediunt Christo,
Matth. 8.

Auribus unda carens: sine sensibus Eurus & Au-
ster,
Et rationis inops saeva procella maris:
Continuo ad Christi mandantis jussa silescunt.
Et parent Domino bruta elementa suo:
Ah visu quid, & auditu, rationeq; pollens,
Mandatis Christi non ita pareat homo?

51 Pauli Conversio, Actor. 9.

Qui lupus ante Dei Saulus vastabat ovile;
Nunc Paulus contra, servat ovile, lupos.

Contra

52 **Contra stimulum calces,**
Actor. 9.

Calce ferit stimulum seq; ipse cruentat, Iesu,
Qui tibi, quiq; tuis bella, netemq; parat.
Et patitur duris illisa quod aquora saxis:
Saxa immota manent frangitur ira maris.
Quin coeiant armis simul Orbis & Orcus in unum:
Tetamen est contra vis rabiosa nihil.

53 **Domin. 5 Epiph. Matth. 13.**

Triticum agro Christus, lolium ferit hostis; utrumq;
Ad summam messis germinet usque diem.

54 **Triticum & zizania, Matth. 13.**

Semina quo Christus coelestia condidit arvo,
Hoc ferit & lolii noxia grana Satan.
Dum ferit omne scelus, damnosaq; dogmata: Nocti,
Quos vigilare decet, cum sopor altus habet.
Triticum agro & lolium sic surgere cernimus uno;
Et lolium segeti sepe nocere bona,
Hanc tolerare jubet, non ferro excindere pestem:
Supremam messis Christus ad usq; diem.
Tartareos messor lolium qua mittet in ignes;
Farra sed ad sedes transvehet atherias.

55 **Ad Christum: Imitatione Na-**
zianzeni.

Gratia sit tibi, Christe, mei quod pectoris arvo
Credideris verbi semina pura tui.

Sed

*Sed quia nocturnus Satanas sator ille malorum,
 Miscere his lolium triste nocensq; parat;
 Angor, & excrucior: metuens, ne quando sopore
 Recreor; hic inter farra venena serat.
 Ergò fac ò vigilem, & Satana vigilando resistam,
 Ne nostri huic pateat cordis ad arva aditus.
 Ac si forte meos sopor occupet ager ocellos;
 Tu vigilis pro me, Christe, age munus obi.
 Sic nihil insidias hostis, lolium vè timebo:
 Sic ego triticum agro, Christe, manebo tuo.*

§6 Simeonis Cygnea Cantio. Luc. 2.
 Festo Purificationis.

*Vt Simeon te, Christe, senex suscepit in ulnas,
 Pectoris ista dedit sensa animosa sui:
 Tandem in pace tuum mittis, pater optime, servum
 Funeris hora mihi fœnoris instar adest.
 Nunc promissa prius rata sit spes: Namq; salutem,
 Et vidi his oculis, & tetigi his manibus;
 Quæ mihi, quæ toti datur una redemptio mundo,
 Quæ duce, lux miseris gentibus orta micat.
 Sic Simeon te, Christe, senex; sic funeris horam
 Excipit, & Cygnum sic imitatus ovat.
 Christe Deus, mea Christe salus: si fervida cordis
 Vota pii possunt pondus habere preces!
 Te precor, & reprecor; te deprecor: adspice & ista
 hæc
 Vota, pii ut veniunt pectoris ex adyto:*

Da mihi, dum spiro, te gestem semper ut unum
Mente, ulnis, labiis, pectore, lingua, oculis.

Et cum fata jubent acta me cedere vita:

Me, precor, o ulnis excipe, Christe, tuis.

57 **Dominica Septuagesimâ.**

Matth. 20.

Vinea disparibus cultores accipit horis,
Sed tamen his merces omnibus una datur.

58 **Ad Christum Jesum. Matt. 20.**

Me quoque cultorem tua vinea, Christe, recepit:

Vt facerem, tua quod lex facere urget, opus.

At quoties ego sum piger otia vana secutus,

Perdidi & hei, totos nil operando dies?

Vinea cultorem prima me accepit in hora,

Quamprimùm sacro fonte renatus eram.

Hac sine fruge abiit. Quin tertia transiit hora:

Sexta q̄: nec studio est vinea culta meo.

Nona instat: Senium declivior attulit etas:

O ea vel tandem sacra sit hora tibi.

Seriò ut insistam noctesq̄, diesq̄, labori:

Et faciam, tua quod vinea poscit, opus.

59 **Invidi oculus malus. Matt. 20.**

Invide quid pondus jactas, astumq̄, diei:

Quo te plus aliis promeruisse crepas?

Vita tui non est merces aeterna laboris,

Gratuitum munus sed miserentis heri.

Multi

60 Multi vocati, Paucielecti,
Matth. 20.

*Sint licet electi Pauci, Multique vocati:
Me tamen electum, qui vocor, esse scio.
Quin tantum electi si sint Tres, me tamen unum
Esse piâ credo de Tribus hisce fide.*

61 Domin. Sexages. Luc. 8.

*Semen quadruplici divinum spargitur arvo;
Non tamen hic fructu surgit ibique pari.
Prima seges perit, & perit altera; tertia nulla est,
Multiplici tandem foenore quarta redit.*

62 Ad Christum Jesum.

*Solve mei callum, Iesu dulcissime, cordis;
Et lapidem legis vomere scinde tua.
Quin sentes etiam extirpa radicitus omnes,
Ut fructu hinc surgant semina millecuplo.*

63 Domin. Quinquages. Luc. 18.

*De cruce discipulis ignota est concio Christi;
Et crucis est nobis concio nota minus.*

64 Bartimæus, Marc. 10.

*Rejicit ex humeris properans sua pallia cæcus,
Cursuri ad Christum ne remorentur iter.
Te quoque ne remorentur opes, qui coelica quaris
Regna, vel ad Christum nudus, egensque vola.*

Bapti-

65 **Baptismus Christi, Matth. 3.**

Abluitur nitido Jordanis flumine Christus,

Atque ita non sua sed crimina nostra, lavat.

Flatus ab aethera specie venit arce columba:

Cœlitus auditur vox veneranda Patris.

Ne dubites sacra cum nos quoque tingimur unda,

Baptismo prasens sistitur alma Trias.

66 **Matthias, Matth. 11.**

Ad Christum propera, premeris qui fasce malorum,

Hic omni miseros mole levare potest.

67 **Aliter.**

Sarcina peccati si te gravis urget onustum,

Teque reum noctu culpa diuque coquit:

Ad Christum propera, miserosque reosque vocantem,

Ipsa sua afflictum te relevabit ope.

68 **Dominica Invocavit,
Matth. 4.**

Si Satanas ausus Christum tentare magistrum,

Num volet is rudibus parcere discipulis?

Sed si nec Christum potuit superare magistrum,

Num queat is Christi vincere discipulos?

69 **Retia Satanae, Matth. 4. ex verb.
Chrysoft.**

Sunt tria, quae pandit super omnem retia mundum,

Et cupit his quosvis illaqueare Satan.

Nempe

44 EPIGRAMM. PIORUM

Nempè Gula, Ambitio, Furor & malesuadus Ha-
bendi,

His tribus impetitur retibus omnis homo,
At si quis velit hac evadere retia Ditis,
Queis hostem hunc Christus reppulit, arma
paret.

Nempè Dei Verbum, gladio quod acutius omni est:
Ad quod tartarei sunt nihil arma lupi.

70 Regna Mundi. Luc. 4.
Ex verb. Ambros.

Regna Satan Mundi momento temporis uno
Exhibet, & totus quas habet orbis, opes.
Disce igitur quam sit mundi fugitiva voluptas:
Quamq; nihil, totus quas amat orbis, opes.

71 Christus baptizatus tentatur.
Matth. 4.

Quam citò lotus abit Jordanis Christus ab undis,
Tàm citò & obicitur Dæmonis insidiis,
Nos etiam sacro quamprimum fonte lavamur,
Vrgemur stygii fraude, dolisq; lupi.
Sed Gladio tamen hunc, duce Christo, vincere verbi
Possumus, & valida vi superare precum.

72 Domin. Reminiscere. Matth. 15.

Se Domino placitura canem Cananæa fatetur:
Proq; Canis natæ jure fidelis ovat.

Victo.

73 **Victoria fidei. Matth. 15.**

*De Christo invicto victrix Cananea triumphat
Vi fidei; invicta est vera proinde fides.*

74 **Dialogismus Christi cum Cana-
nitide. Matth. 15.**

*Vt Canis ad vomitum rediisti sapius; ergo
Quæ tibi sit veniæ spes, Cananea, super?
Sum Cananea canis, fateor, mea vita canina est
Hactenus, & meriti gratia nulla mei.
Sed neq; jura tamen mihi, Christe, canina negabit;
Vilia quæ mensa sunt analecta cibus.
Et mica tennes, & dura fragmina crusta;
Et quæ sub mensam mappa remota jacit.
Sic, mihi si datur una tue bonitatis, Iesu,
Mica, sat est: mica quin vel & umbra sat est.*

75 **Christus tacet, ut Cananæa lo-
quatur.**

*Cur ad vota taces Cananæa, Christe, gementis?
Nempè loqui precibus pergat ut illa suis.*

76 **Reminiscere: ad Jesum
Christum.**

*Ne peccatorum Reminiscere, Christe, meorum:
Quæ superant guttas Oceani innumeras.*

Sed

46 EPIGRAMM. PIORUM.

*Sed pro me fusi Reminiscere, Christe, cruoris,
Qui superat precio crimina nostra suo.*

77 Domin. Oculi, Luc. II.

*Fortis ut armatus Satanas sua regna tuetur;
Sed digito Christus destruit illa Dei.*

78 Digitus Dei, Luc. II.

*Confidant hastis, confidant ensibus hostes:
Induat arma pedes, sit cataphraetus eques;
Nos dare qui pessum se vi meditantur. At unus
Est omni Digitus fortior hoste Dei.*

79 Ad Christum Jesum, Luc. II.

*Discipulis quot, Christe, tuis tentator Averni
Decipulas tendat, nocte dieque vides,
Reddere quos surdos satagit, quos reddere mutos,
Quos coecos tentat reddere, mille modis.
Nec tentat modo, sed vasfro saepe efficit astic,
Insidiis ut sint praeda cupita suis.
Adsere, Christe tuos: Stygii preme calce colubri,
Qui tua non cessat ledere membra, caput.
Sit Satana, vis magna licet: tua maxima, Christe,
est;
Immo ad quam Satana est vis rabiosa nihil.*

80 Domin. Lætare, Johan. 6.

*Millia quinque hominum modico qui pane cibavit,
Usque suos larga pascit, alitque manu.*

Dex.

81 **Dextera Christi, Johan. 6.**

Quinque puer panes gerit, illis dextera Christi
 Omnipotens hominum millia quinque cibatur,
 Si premit ergo fames, dextera memor illius, ora:
 Inde fluent vitæ largæ alimenta tua.

82 **Andræ diffidentia, Johan. 6.**

Quid populo panes tanto sint quinque cibando?
 In Christi manibus sunt satis atque super.

83 **CHRISTUS, Johan. 6.
Matth. 26.**

Ad regni Christus quasitus fugit honores,
 Obtulit ad duram se crucis ipse necem.
 Sic mundi fuge, qui Christum sectaris, honores:
 Sed crucis impositum non fuge ferre jugum.

84 **Annunciationis Festo,
Luc. 1.**

Factus homo Deus est, homines gaudete: Salutis
 Namque hominum causa factus homo Deus est,
 Aliter.

Factus homo Deus est: Deus est homo factus: ab isto
 Foedere nostra venit, non aliunde salus.

85 **Deus homo factus.**

Factus homo Deus est persona Christus in una,
 Estque Deo stabili foedere juncta caro.

Sed

*Sed caro qua ratione Deo sit juncta, negatum est
Nosse homini. Novit qui Deus est & homo.*

86

Anigma.

*Quis, quod erat, manet; & quod non erat, incipit
esse?*

Christus homo fit, & est, qui fuit ante Deus.

87.

Domin. Judica. Johan. 8.

*Quid spiras Mors atra minas? qui verba Jehove
Servat, is in media vivit ovataq; nece.*

88.

Ingrati Gratia Mundi.

Johan. 8.

Judaei nequeunt quia dicta refellere dictis:

Convicti Christo saxa necemq; parant.

Luditur hac eadem per totum fabula mundum:

Discipulos Christi bella famesq; manent.

Crimina qui carpit, qui dogmata falsa refutat:

Qui loquitur verum non habet hospitium.

Sed veris tandem cedunt mendacia: Christum

Aut vis, aut rabies vincere nulla potest.

89

Dominica Palmarum.

Matth. 21.

Eja Sionis adest Rex, palmas cedite, vestes

Spargite, & intranti dicite Hosanna pii.

Hosian-

90 Hosianna. Matth. 21. Luc. 19.

*Si pueri taceant lapides mihi crede, loquentur :
Et dicent regi saxa Hosianna suo.*

91 Ratio sit Christo subdita.

*Non a sinum Christo, sed a sello imposito Christum;
Hoc est, se Christo subjiciat ratio.*

92 Cœna Dominica. I. Corinth. II.

*O mysteria ! Das corpus mihi, dasq; cruorem
Cum pane & vino, maxime Christe, tuum.
Non ratione mea rationem quero, modum vè,
Hoc me quo possis participare bono :
Te Dixisse sat est : Ratio rationibus una
Praminet ista ; modis omnibus iste modus.*

93 De eadem S.S. Cœna.

*De Domini Cœnâ, sunt litibus omnia plena :
Quomodo dum querit quisq; venena serit.
Litera torquetur, neq; verax Christus habetur ;
Quod Ratione capit, cuiq; sophisma sapit.
De Christi at verbis non est fas querere servis :
De dictis Domini nec dubitare Homini.
Quare age dicentem fac spectes omnipotentem,
Dicere cui facere est, Credere cui sapere est.
Et dominum rerum tibi dicere credito verum ;
Nec quidquam dubita, quin, quod ait, sit ita.*

50 EPIGRAMM. PIORUM

*Sic sub pane datum corpus potes esse sacratum ;
Et Christi lateris sic laticem biberis.*

94 De eadem S.S. Eucharistia.

*Christe , tui sub pane datur mihi corporis esca ;
Subq̄z mero rosei sanguinis unda tui.
Hac licet haut capiat ratio , gustet ve palatum ,
Haut oculi videant , Corq̄z Fidesq̄z vident.*

95 Christus venditus, Matth. 26.

*Venit are , suo redimit qui sanguine fontes ,
Qui mundi precium est , venditus est precio.*

96 Sudor sanguineus, Matth. 26.

*Sanguineis Christus guttis sudavit in horto ;
Ablueret sordes ut error iste meas.*

97 Ad Petrum , Malchi aurem gladio
refecantem, Matth. 26.

*Non ensis tibi sed cœli , Petre , credita clavis ,
Hac referare aures , non refecare , decet.*

98 Caiphas , omnium Arianorum Pa-
triarcha, Matth. 26.

*Christe , Patris natum quia te adseris esse Jehovæ ,
Pontificis meritis diceris ore necem.
Hunc hodie , ah ! sequitur quæ , quantaq̄z turba magis-
trum ,
Quæ veri natum te negat esse Dei.*

Et ta-

Et tamen hos pateris; neque fulmine mittis ad Orcum,

Esse Deum qui te turpiter ore negant?

Id, nisi mox verè resipiscant, fiet ab astris

Quando redux reprobis jura probisq; dabis.

Nunc tua longanimis tolerat patientia tales,

Qua, tandem ut rodeant ad meliora, mones.

99 *Saulis & Judæorum,*
Davidis & Christi,
Agagi & Barrabæ
Comparatio, Matth. 27.

Contra jussa Dei Saul fonti parcit Agago,

Isaidi insonti vimq; necemq; parat:

Sic mortem merito parcis, Judæe, latroni,

Insonti Christo vincla necemq; paras.

100 *Serta CHRISTI spinea,*
Matth. 27.

Spina nocens tua pro diademate tempora cingit.

Ut mihi sertâ pares aurea, Christe, polo.

101 *Serta Christianorum.*

Spinea Christicolis hoc orbe corona gerenda est:

Si gestare velint aurea sertâ polo.

102 *Pontius Pilatus.*

Qui vulgo judex placuisse laborat iniquo,

Liberat is nocuos, damnat is innocuos.

52 EPIGRAMM. PIORUM

*Pontius hoc fecit; Nemesis neq; defuit; huius
Exemplo iudex cautior esse velis.*

103 De Christo patiente, & moriente;
Dialogismus.

*Quis rubicundus is est? Christus. Quo schemate
prodit?*

Regis? que vestis regia? Purpurea est.

*Quae torques? funis. Quae armilla? Vincula. Regi
Munera quae dantur? Verbera, Sputa, Alapa.*

*Quod diadema? Vepres. Sceptrum quod? Arundo.
Tribunal*

*Quod? Crux est. Quis honor? Dedecus atq; pro-
brum.*

*Quis cibus est? Myrrha est, & fel. Quis potus? Accu-
tum.*

Qui Regis famuli? Latro ad utrumq; latus.

Quae requies Regi? Mors. Quodq; cubile: Sepulchrum.

Quae lodix? Sindon. Vnguina? Myrrha, Aloë.

Quod conclave? Lapis. Conclavis janua? Saxum.

Quae sera? Cera. Vigil quis? scelerata cohors.

Omnia mira refers; quia Rex mirabilis ipse est:

Et regnum mira conditionis habet.

104 Mors Christi.

In cruce cur moreris, vitæ dator unice Iesu?

Nempè sit ut misero mors tuæ vita mihi.

Ad

105 Ad Christum morientem.

Sors mea, Christe, tibi mors est, tua mors mihi vita
est ::

Sorte meâ moreris, morte ego vivo tua.

O quàm noxia sors ! ô mors quam plena salutis :

Sors ut amara necat, Mors ita amata beat.

106. Petræ scinduntur. Matt. 27.

Petra rigens scissa est in Christi funere : Petrà
Durior, hac nece nil si movearis, eris.

107 Festo Resurrectionis. Marc. 16.

Mors ubi sunt tua jura, ubi sunt tua spicula ? Chri-
stus

E tumuli claustris en redivivus adest.

108. Christus resurrexit.

Tertia lux rediit, tumulo caput extulit Agnus,

Qui crucifixus erat, quiq; sepultus erat.

Exsultemus oves : neq; Mors neq; Tartara nobis,

Hoc duce, vel minima parte nocere queunt.

109 Angelus ad Mariam flentem.

Johan. 20.

Desine flere, tuus vivitq; valetq; Redemptor :

Ecquid adhuc cause, cur lachrymeris, habes ?

C 3

Jonas

§4 EPIGRAMM. PIORUM

110 Jonas & Christus, Matth. 12.

*Tres noctes, totidemq; dies in viscere ceti
Factatur Jonas; saluus at inde redit.
Clauditur & totidem noctesq; diesq; sepulchro
Christus; at hinc surgit victor, & astra petit.*

111 Mane nobiscum Domine,
Luc. 24.

*Pergere quid simulas? quid abire minaris, Iesu?
Sicne paras miseros relinquere discipulos?
Vesper adest; tenebris nigrescunt singula circum:
Tu nisi, Christe, manes, omnia noctis erunt.*

112 Christi praesentia, Matth. 18.

*Si duo conveniant, aut tres, in nomine Iesu,
Tertius, aut quartus Iesus ibi esse cupit.
Quin si de Iesu solus meditabere; solus
Haut fueris: tecum sic quoq; Iesus erit.*

113 Pax Christi, Luc. 24.

*Pax ea sit mihi, Christe, tua quam morte parasti:
Orci ego sperno minas, hac modo pace fruam.*

114 Dominica Quasimodogeniti,
Johan. 20.

*Clavorum cur, Christe, typos in corpore servas?
Scilicet ut meriti sint rata signa tui.
Clavorum cur, Christe, typos in corpore servas?
Ut pretii pro me sint rata signa dati.*

Clavo.

Clavorum cur, Christe, typos in corpore servas?

Ut quoq; destructa sint rata signa necis.

Clavorum cur, Christe, typos in corpore servas?

Ut debellat & sint quoq; signa stygis.

Da, pie Christe, typis, precor, istis oscula figam,

Hos summa, his oculis, quando videbo die.

115 Januæ clausæ, Johan. 20.

Clausæ legis quoties venisse per ostia Christum:

Nec, factum hoc fuerit qua ratione, legis.

Fac tua se Ratio submittat Cunctipotenti,

Quomodo vult, quod vult, qui facit omne, Deo.

116 Domin. Miseric. Dom. Joh. 10.

Sum tibi ovis! mihi tu datus à Patre Pastor, Iesu,

Ergò tuere tuam me, bone Pastor, ovem.

117 Ad Christum pastorem.

Christe, tuos lupo infestat crudeliter agnos,

Et furit in totum nocte dieq; gregem.

Quis nisi tu lacerum, Pastor, defendat ovile?

Quis nisi tu, pellat vim rabiemq; lupi.

Conducti mercede viri sua commoda spectant,

Dantq; lupo turpi terga furente fuga.

O igitur miserere tui, pie Pastor, ovilis:

Ne fiat stygio præda cupita lupo.

118 Philippi Jacobi, Johan. 14.

Qui Christum videt, is Patrem videt in Patre Christus

Et Pater in Christo est, quod capit una fides.

119 Christus via ad Patrem. Ibid.

*E terris Christus via ducit ad astra sequentes:
Pervenit ad Patrem qua sine nemo via.*

120. Dominica Jubilate. Johan. 16.

*Qui miser es, fletuq; crucis sub mole madescis;
Auxilii mentem spe propioris ale.*

*Est Modicum, perfer: post fletus jubila surgent;
Exultando metes qui lachrymando seris.*

121 Puerpera. Johan. 16.

*Semianimis longo cruciata puerpera nixu,
Angitur; atque, gravi lassa dolore, gemis.*

*Extremis ita fessa malis Ecclesia languet,
Subq; crucis nimio pondere anhela tremit.*

*Christe, redi; mala nostra leva; solare trementes;
Atq; ubi vera quies, transfer ad astra tuos.*

122. Crux Christianorum.

*Crux mala qua patimur dicuntur de cruce Christi:
Quisq; crucem ut fortis, cem tulit ille, ferat.*

Aliter.

*Res Crucis adversa dicuntur nomine: Christi
Crux quod in adversis sit medicina piis.*

Domin.

123. Dominica Cantate. Jo-
han. 16.

*Christus abit, sacrum missurus ab aethere flatum :
Arguet hic mundum crimine de triplici.*

124. Mors Christi. Joh. 16.

*Transitus ad Patrem mea mors est omnipotentem :
Ergone tristitia sit lachrymis vè locus ?*

125. Dominic. Vocem Jucunditatis.
Johan. 16.

*Vt rata sint, Christi tua vota in nomine fiant :
A Patre per Christum qui petit, omne feret.*

126. Ad Jesum Christum.

Christe, tuis fretus promissis invoco Patrem :

Da, precor, his precibus pondus inesse meis.

Nomine namq; tuo nos mandas fundere vota,

Pondere apud Patrem non caritura tuum.

His quoq; te fisis promissis invoco, Iesu,

Cum Patre qui numen par Deitatis habes.

His itidem fisis promissis invoco Flamen,

Quod vinclo jungit Teq; Patremq; suo.

Sive igitur Patrem, seu Te, seu Flamen adoro,

Confido precibus pondus inesse meis.

Nam certa quamvis persona nomen adoro ;

Sic tamen unius numen adoro DEI.

127 Ascensionis Domini Festo,
Marc. 16.

*Ætherias Christus conscendit victor ad arces,
Et patrii consors regnat ubiq; throni.
Dicat homo pius omnis Iō: sic itur ad astra:
Clausa prius miseris sic patet aula poli.*

128 De eadem Ascensione Christi.

*In via que fuit ante poli via pervia facta est,
Cum Christus solium scandit ad ætherium.
Hunc si devoto sequimur nunc corde, sequemur
Corpore, cum summa jufferit ipse die.*

129 Dominica Exaudi, Johan. 16.

*Predicis mala, Christe, tuis toleranda ministris,
Ut prævisa rudes tela minus feriant.*

130 Rabies Tyrannorum, Jo-
han. 16.

*Seviat in Christi simul Orbis & Orcus alumnos,
Excludent regno non tamen hosce Dei.*

131 Festo Pentecostes, Actor. 2.

*Mittitur ætheria solator Flatus ab arce,
Hisq; colunt Christum quotquot, amantq; datur.*

132 Ad Spiritum sanctum.

*Spiritus alme, pii dulcissime pectoris hospes;
O renova nostrum cor, penetrale tuum.*

Sordida

*Sordida quæq; lava, rege devia, saucia sana,
Horrida flecte, fove frigida, dura riga.*

133 Pax Christi, Johan. 14.

*Pax externa licet mundi mihi, Christe, negetur,
Pax interna mihi sit tua, sola sat est.*

134 De eadem Pace.

*Mors, Orcus, Satanas, Mundusq; extrema minentur,
Nil metuam, cum sit pax tua, Christe, mihi.*

Aliiter, de eadem Pace.

*Pace tua quisquis fruitur, dulcissime Iesu,
Nec tremit ante homines, nec tremit ante Deum.*

135 Feria 2. Pentec. Johan. 3.

*Sic Deus humanum genus est amplexus amore,
In mortem ut natum traderet unigenum.
Quò viva quicumq; fide comprehenderit illum,
Participet vitæ gaudia perpetua.*

136 Ex verbis CHRISTI, Jo-
han. 3.

*Dat mundi Pater omnipotens pro crimine Natus,
Pro cunctis casus victima Natus obit.
Atq; suum verbi meritum voce omnibus offert;
Applicet hoc firma quo sibi quisque fide.
Ergò hominum verè, Natusq; Paterq; salutem
Exoptant: quemquam nec periisse volunt.*

60. EPIGRAMM. PIORUM

137. FERIA 3. Pentecost. Jo-
han. 10.

*Et Pastor sacri est, & Ianua Christus ovilis :
Spiritus est custos liminis aetherius.
Quotquot oves Christi Pastoris voce reguntur :
Ianitor his pandit sidera ad alta fores.*

138. Dominica S. S. Trinitatis.
Johan. 3.

*Trinus personis, Unus Deitate Jehova,
Qui Fuit, Est & Erit, cuncta creata fovet.*

139. Renascentia. Ibidem.

*Sidera nemo, sacro nisi fonte renatus, adibit :
Omnis ab hoc uno manat origo boni.*

140. Nicodemus. Ibid.

*Quid quæris quamnam possis ratione renasci ?
Claudicat hic Ratio, militat una Fides.*

141. Ratio & Fides. Ibid.

*Discere si, distent quantum Ratioq; Fidesq;
Atq; fidem Ratio quam remoretur, a ves ?
Quomodo quarentem Nicodemum respice; discas:
Quam pugnet, coeca cum Ratione Fides.*

142. Via Cœli. Johan. 3.

*Qua via sidereas te ducat ad aetheris arces ;
Portaq; qua tibi eò sit penetranda, rogas ?*

Qui

*Qui caelo nostra descendit amore salutis,
Ascendit q̄ iterum, Porta is, itemq; Via est.*

143. Dominica 1. Trinitatis.

Luc. 16.

*Dives in inferno scelerum luit belluo pœnas,
Lazarus ætheria sede potitus ovat.*

144. Dives & Lazarus, Ibid.

*Hic epulo Crœsus fuit; at post fata fit Irus:
Lazarus hic Irus, Crœsus in arce poli.*

145. Dives epulo. Ibidem.

*Multa rogans dives, non exauditur in Orco:
Pauperis hîc quia non audit ipse preces.*

146. Dominica 2. Trinitatis.

Luc. 14.

*Cœna parata Dei est: Bos, uxor, & arva vocatos
Hac remouent: mensas claudi, inopesq; replent.*

147. Ad vocatos. Luc. 14.

*Servus ad instructam nos convocat undique coenam:
Vera salus cordi est si tibi, rumpe moras.*

*Rumpe moras: nec te Rus, Bosve, uxorve retardent:
Aut brutum bobus te magis esse probas.*

148. Johannes Baptista. Luc. 1.

*Effoeta natus de matre Propheta Johannes,
Intrepida Christo voce paravit iter.*

C 7.

Idem

149 Idem, Luc. 1.

Embryo materna Baptista exsultat in a'vo,
Et Servatorem gestit adesse suum.

Idem, Luc. 1. Matth. 11.

Nascitur orator muto de patre disertus,
Cui non ulla unquam secla tulere parem.

150 Dominica 3 Trinit. Luc. 15.

Christe, ovis, hei, sum perdita, tu me quare, repertam
Restitue, & scapulis porta ad ovile tuis.

151 Filius prodigus Luc. 15.

Prodige, qui porcos agis inter egenas agrestes,
Quantis excideris, queso, memento bonis.

Et mala que incidere perpende, subulcus es, antè
Pralatus servis filius innumeris.

Ab quanto redimas precio, tibi pristina sortis

In patria ut redeant commoda tanta domo?

Non opus hic precio est: precibus lachrymisque Pa-
rentis

Te reducem ante pedes fistito, cuncta feres.

152 Acolastus pœnitens. ibid.

Peccavi, Pater, hei, tibi: peccaviq; Jehova,
Amplius & dici filius hauri mereor.

Tantum inter servos numerer famulosq;: beatum

Me puo servorum si adjiciam numero.

Petrus

153 Petrus & Paulus, Matth. 16.

*Judicium mundi de te nil, Christe, moramur,
Te vivi Natum credimus esse Dei.*

154 Caro & sanguis, ibid.

*Nec caro nec sanguis possunt cognoscere Christum,
A patre caelesti cognitio illa datur.*

155 Fides in Christum, Ibid.

*Si Christum summi credis natum esse Parentis,
Inferni portas sperne stygisq; minas.*

156 Ecclesia super Petram,
Matth. 16.

*Sancta super Petram fundata Ecclesia Christum,
Stat contra stygias inviolata minas.*

157 Petra erat Christus, Matth. 16.
1. Corinth. 10.

*Non Petrus est petra, quam super est Ecclesia stru-
cta:*

Sed Christus vivi filius ipse Dei.

*Hanc super est petram fundata Ecclesia: nunquam
Cui porta poterunt prevaluisse stygis.*

158 Dominica 4. Trinit. Luc. 6.

*Ætherii exemplo fratrum miserere Parentis,
Et larga miseris auxiliare manu.*

Trabs

64 EPIGRAMM. PIORUM

159 Trabs & festuca. Luc. 6.

*Lippus es ipse domi foris ast oculatior Argo :
Cuncta aliena notas, sed tua nulla vides.
Quin prius ergo tuos agnosce, & corrige navos ;
Quàm Iudex aliis tetricus esse velis.*

160 Visitatio Mariæ. Luc. 1.

*Virgo salutatum gravidam venit Elisabetham :
Exemplo queat hoc ut stabilire fidem.*

161 Dominica 5. Trin. Luc. 5.

*Sola Dei largè ditat benedictio : noctes
Qua sine quis frustra nititur atq; dies.*

162 Laxate retia. Luc. 5.

*Effice quæ tua sunt, & summo fide Iehove :
Decurtata manus non erit alma Dei.*

163 Retia. Luc. 5.

*Rete tuum si non in Christi nomine laxes :
Omni inanis erit nocte dieq; labor.*

164. Ad Jesum Christum. Luc. 5.

*Nomine, Christe, tuo mea retia laxo ; labori
Tu benedic, mea tu retia pisce reple.*

165 Dominica 6. Trinitatis.

Matth. 5.

*Corde, manu, vultu, linguâve occidere noli :
Nam toties fieri quisq; homicida potest.*

Recon-

166 Reconciliatio. Ibid.

*Si cupis ut tua sint holocausta accepta Iehova:
Fac fratri irato conciliere prius.*

167 Justitia melior. Ibid.

*Quid mea justitia est? nihil est nisi menstrua sor-
des:*

Sorde vel hac si quid fædius esse potest.

*Tu mea iustitia es, Jesu justissime; nam te
Indutum gesto justificante fide.*

*Hac ego justitia purusq; insonsq; triumpho:
Iustus ero hac iusti iudicis ante thronum.*

168 Maria Magdalena. Luc. 7.

*Si tua te peccata gravant, resipisce dolendo:
Peccati veniam, qui resipiscit, habet.*

169 Lachrymæ peccatricis. Ibid.

*Quæ illicitas oculis faculas vibrare solebat,
Nunc faculas lachrymis has necat uberibus.*

170 Oscula peccatricis. ibid.

Figere qua labris fuerat consueta procorum

Basia, dat pedibus nunc ea, Christe, tuis:

*Et scelerum veniam lachrymansq; gemensq; preca-
tur:*

Quamq; cupit veniam, te miserente, capit.

Domi-

171 Dominica 7. Trinit. Marc. 8.

*Si vigili Christum studio sectere docentem,
Largiter, hæc quibus est indiga vita, dabit.*

172 Ad Jesum Christum.

*Christe, animam corpusq; ciba: at si nostra meren-
tur*

*Crimina, ut hoc careat pane, vel illa, suo.
O potius, meritis male, subtrahere corporis escam:
Deficere adest anima ne patiare cibum.*

173 Domin. 8. Trinit. Matth. 7.

Pelle sub agnina rigidos lupus occulit unguis:

Deceptor ficta sub probitate latet.

Qui sapis insidias, excussa veste, latentes

Agnosce, & cautus dira venena fuge.

174 Arbor ex fructu cognoscitur,
ibidem.

E fructu bona sit, vel sit mala noscitur arbor,

Sic, homo sitne bonus, vel malus, acta probant.

175 Non omnes, qui dicunt Domine,
&c. ibidem.

Non simulata Deo pietas, sed vera probatur,

Scenica nec probitas quid valet ante Deum.

Ergo Deum quicumque colis, Dominumque fatéris,

Ut tua sit voci congrua vita vide.

Jaco-

176 Jacobus, Matth. 20.

*Qui Christo servis, terrestria sceptrâ quid ambis?
Sceptrâ decent reges, se tolerare crucem.*

177 Dominica 9. Trinitatis,
Luc. 16.

*Hic homo de injusto tibi Mammone compara ami-
cos:*

In caelo aternas sic cumulabis opes.

178 Facite vobis amicos, Luc. 16.

*Nec mea, nec tua sunt, ego qua bona tuâ tenemus,
Sed summi bona sunt distribuentis Heri.
Dispensatores sumus. Ergo juvemus egenos,
Deq; bonis larga, quisq; det hisce manu.
Post obitum sic me, sic te, super astra levabit
Christus: Inops stygias ibit avarus aquas.*

179 Laurentius, Johan. 20.

*Triticea non est messis spes ulla colono,
Auctumno nisi sint credita grana solo.
Mensis ad aterna fructum nec nostra resurgent
Corpora, nî Domini hac ante serantur agro.*

180 Dominica 10. Trinitatis,
Luc. 9.

*Ira Dei Solymam delevit funditus urbem:
Sic premet ingratos quoslibet ira Dei.*

Sodo.

181 Sodomam & Solymam.

*Quae Sodomam scelera everterunt funditus urbem:
Hac everterunt funditus & Solymam.
Nunc scelera hac eadem totas cum civibus urbes,
Funditus evertunt, regnaq; cum populis.*

182 Dominica II. Trinitatis.

Luc. 18.

*Quid Pharisae tumes? tua quid jejunia jactas?
Quid decimas? coelum hoc non emitur pretio.*

183 Publicanus. Luc. 18.

*Sto procul, atq; oculos non audeo tollere coelo:
Criminis, hei, pondus sic gravat hosce mei.
Cernuus obtutu, merui quae, Tartara spectro:
Illaq; jam misero cerno patere reo.
Occupat inde tremor simul omnia pectoris intus
Organa: Cor trepido palpitat usq; metu.
Nec datur ulla quies, mea tu nisi crimina gratis
Condone, solita pro bonitate, Deus.
Quod precor, o, facias, Pater Optime maxime,
Nati
Unigena propter vulnera sancta tui.*

184 Domus precationis. Luc. 19.

*Ne domus hac per te fiat spelunca latronum,
Castarum debet quae domus esse precum.*

Publi-

185 Publicanus & Pharitæus.

Luc. 18.

*Peruulgata viget nostri sententia Christi :
Scandit ad alta humilis, tendit ad ima ferox.*

186 Barptolomæus. Luc. 22.

*In regno Christi qui maximus esse laborat ;
Sit minimus : minimus Christus ut ipse fuit.*

187 Dominica 12. Trinitatis.

Marc. 7.

*Obstruit auriculas Satan, alligat organa lingua,
Vtraque ne celebrent officiosa Deum.*

*Tu, precor, aurem aperi, linguamq; resolvito Iesu,
Auris, & os laudes sic canet usque tuas.*

188 Mutus & Surdus.

*Mutus hic, & surdus primi genitoris imago est,
Et quot ab hoc homines sunt genitore sati.*

*Namq; ad verba Dei surdis sumus auribus omnes :
Illius ad laudes muta q; turba sumus.*

Peccati labes hæc est comitata venenum :

Quando Dei stygius perdidit hostis opus :

Christe, medere malo, siquidem potes omnia, tanto :

Vox ut, & auditus seruiat usque tibi.

189 Bene omnia fecit. Ibid.

*Qui benè fecisti, benè qui facis omnia, Iesu,
Fac bona que primus pessima fecit homo.*

Domi.

190 Domin. 13. Trinit. Luc. 10.

*Terg, quaterq, oculi, totoq, ex asse beati
Sunt, quibus est Christum posse videre datum,
Nempe oculi fidei. Nam Christum qui videt istis,
In media vitam morte superstes habet.*

191 Saucius Viator & Samarita,
ibidem.

*Semianimis Satana jaceo spoliatus ab hoste,
Vulneribusq, datur nulla medela meis.
Nulla sacerdotis me victima; Lex quoq, nulla
Levita: Mosis me sacra nulla juvant.
Tu succurre meo, Iesu Samarita, dolori!
Vinum, oleumq, tuum sint medicina mihi.*

192 Dominic. 14. Trinit. Luc. 17.

*Sanantur Christo bis quinq, medente leprosi,
Se medico gratum qui probet, unus adest.*

193 Leprosi, Luc. 17.

*Voce decem Christus miracula perficit una;
Liberat à lepra bis ubi quinq, viros.
Ne dubites, si vel te mille pericula cingant,
Millenis hunc te posse juvare modis.*

194 Domin. 15. Trinit. Matth. 6.

*Qui volucres cæli pascit, qui lilia vestit,
Ille suos larga vestit alitq, manu.*

Regnum

195 Regnum Dei, ibid.

*Si tibi caelestis sit cura potissima regni,
Larga Dei reliquum conferet omne manus.*

196 Deus & Mammon, Matth. 6.

*Nemo Deo simul, & Plutoni serviet unquam,
Non famulus binis servit ut unus heris.*

*Plutonis servus perit; at, servire Jehovæ
Qui toto querit pectore, salvus erit.*

*Ergo Deo nummis servire memento relictis,
O homo; si cura sit tibi vera salus.*

197 Matthæus, Matth. 9.

*Qui bene habet, medicum nihil aut medicamina cu-
rat:*

Qui male habet, medicam querit anhelus opem.

198 Domin. 16. Trinit. Luc. 7.

Funera qui lachrymis defunctæ conjugis urges,

Quiq; gemis sobolis præcoqua fata tua:

Pone modum lachrymis! est Christus, morte solutos

In vitam verbo qui revocare potest.

199 Luc. 7. Matth. 9. Johan. 11.

Filius è loculo viduæ: sed filia scribæ

E lecto, surgit Lazarus è tumulo.

Sic nos, seu loculo, lecto, tumulo ve jacemus,

Defunctos Christus cum revocabit, erit.

Michael

200 Michael Archangelus.

*Gloria lausq; Deo, contra qui spicula Ditis,
Presidio tuos nos facit Angelico.*

201 Angelorum custodia.

*Ira, odiisq; fremens nos perdere funditus omnes,
Ut Satanas noctes nititur atque dies:
Angelica hunc contra sic nostraq; nosq; cohortes,
Excubiis cingunt nocte dieq; suis.*

203 Maximus in cælo. Matth. 18.

*In regno qui vis cælorum primus haberi:
Ultimus esse velis, namq; ita primus eris.*

204 Aliter.

*Sis parvus, qui vis in cælo magnus haberi:
Sis imus, primus qui cupis esse polo.*

205 Quis maximus in cælo.
Matth. 18.

*Quomodo, ne queras, sis primus in aetheris arce:
Quære prius, cælum quomodo adire queas.
Quid refert, supera sis primus an imus in aula:
Imos & primos cum beet una salus.*

206 Ad Jesum Christum verum
Michaellem.

*Angelica Michael princeps invicte caterva;
Qui pro me excubias nocte, dieq; geris.*

Et contra stygii defendis tela colubri,
 Me quibus atq; meos impetit hostis atrox,
 Gratia sit tibi summa, quod huc protexeris usq;
 Fortiter, angelicis nostraq; nosq; choris.
 Te peto, tu comites nostris hos gressibus adde,
 Porro etiam, contra Demonis insidias.
 Sic neq; lis Satana, neq; vis inimica nocebit;
 Irrita Tãriãrei sic erit ira ducis.

207 Domin. 17. Trinit. Luc. 14.

Pellitur intercus, Christo sanante, nec isto
 Sabbata sunt Domini facta prophana modo.

208 Sabbatum imago vitæ æternæ.

In terris agimus quæ Sabbata, imagine pulchra
 Posthuma depingunt Sabbata in arce Poli.
 Nam veluti labor hîc festa inter gaudia cessat:
 Sic ibi festa labor per nova nullus erit.
 Sumitur hîc vestis nova: vestis sumitur illic
 Et nova: sidereis emula luminibus.
 Ægrorum fugat hîc Christus per sabbata morbos:
 Nullus ibi morbus, nullus ibi ager erit.
 Hîc sacra nitidi conjungimur æde frequentes;
 Et lata canimus jubila voce Deo:
 Civibus ætheriis etiam conjungimur illic:
 Cantantes dempto jubila sine Deo.
 Sistimur ante Dei faciem hîc per sabbata, nulli
 Quam tamen hoc hominum cernere in orbe da-
 tur.

74 EPIGRAMM. PIORUM

*Ante Dei faciem leti quoq; sistimur illic;
Cernere quem visu tum propiore datur.
O ea lux veniat! veniant ea Sabbata tandem:
Æternâ qua nos prosperitate beant.*

209 Hydrops & Fastus. Luc. 14.

*Ventre licet tumeat distento: intercutis ager,
Turgidior tamen corde, superbe, tu. mes.*

210 Dominica 18. Trinitatis,
Matth. 22.

*Est natus simul & Dominus Davidis Iesus:
Unde sit hoc rogitas? Est Deus, est & Homo.*

211 Lex & Exangelium. Ibid.

*Qua sit summa rogat Legis sententia, Legis
Doctores, & hac justum se putat esse via.
Summa Evangelii qua sit sapientia Christus
Quarit: ea est; Quod Homo verus is atq; Deus.
Qui legi meritis, & vita puriter acta,
Morteq; non merita fecit ubiq; satis.*

212 Lex cedat Evangelio. Ibid.

*Lex Evangelio cedat: Lex terret, & angit;
Vox Evangelii territa corda beat.*

213 Domin. 19. Trinit. Matth. 9.

*Cum sint morborum causa tua crimina: causas
Tolle prius, morbos tollere quisquis a ves.*

Para-

214 Paralyticus. Matth. 9.

Christe, sumus miseri resolutis artubus agra:

Sic anima, sic vis corporis omnis hebet.

Unde & ad obsequium sunt linguaq; pesq; manusq;

Cor, aures, oculi, languida ubiq; tuum.

Eri se nos ope, Christe, tua; tantisq; medere,

Quod sine te possunt pharmaca nulla malis.

Tu causam fontemq; mali peccata remitte;

Tu redeat membris fac animoq; vigor.

Corpus ut usq; tibi, tibi mens mea seruiat uni:

Et medico grates solvat ubiq; suo.

215 Dominica 20. Trinitatis.
Matth. 22.

Largiter instruxit sponso convivia Christo;

Et jubet hac omnes summus adire Pater.

Quisquis es, huc propera: sed veste decorus honesta;

Ne jubeare hospes sordidus ire foras.

216 Ad Jesum Christum. Matth. 22.

Non mihi sunt tua, qua deceant, convivia vestes,

Christe, ita sum vitius sordidus innumeris.

Namq; foris mea quid jactem bona; cum miser intus

Nil sordes nisi sim, nil nisi culpa nocens.

Ergo tua miserum mensa me, sponse, remotum,

Sordidum in extremas abjicies tenebras?

Fiet id, ah! nisi tu me sordibus ex suis istis,

Induis & meriti vestibus ipse tui.

D 3

Hoc

Hoc, precer ô, facias. Veteres, en, pono lacernas,
 Et mensam accedo nudus egensq; tuam.
 Sponse, gelu num tu nudum patiëre peruri?
 Aut ita confundi, Christe, pudore reum?
 Nonne tui potiùs meriti donabis amictu,
 Ut possim hac sordes veste operire meas?
 Agne Dei, miserere; tuum mihi vellus amictum
 Det, sanguis potum, det caro sancta cibum.
 Quod precer, hac præter, nihil est: vel totius orbis
 Divitias (habeam te modo) curo nihil.

217 Dominica 21. Trinitatis,
 Johan. 4.

Quæ Christi verbo, non signis, nititur, aufert,
 Quæ bona-cunq; petit, nil dubitando, fides.
 Exemplo Satrapa est: absens qui vivere natum
 Credit, & hunc præsens convaluisse videt.

218 Fidei incrementum,
 Johan. 4.

Regulus è verbo fidei capit augmina parva,
 Cùm tota posthac credat ut inde domo.
 Sic parvum fidei qui sentis pectore granum,
 Et cupis augmento crescat ut illa pari:
 Pervigili verbum studio meditare Jehova;
 Idq; domi sobolem perge docere tuam.
 Experire, fides fotu quod parvula verbi
 Crescat, & immensum deniq; in augmen eat.

Simon

219 Simon & Judas, Johan. 15.

*Ferre crucem quo jure negas, quam ferre volebat,
Ipse Herus? an prior est servus habendus Hero?*

220 Dominica 22. Trinitatis,
Matth. 18.

*Da veniam fratri, veniam qui caelitus optas:
Nam qualis fratri es, vult Deus esse tibi.*

221 Decem talenta millies.

*Qui servus decies debebat mille talenta:
Viva nimis miseri est debiti imago mei.
Cui nec solvendo sum, si vel meq; meosq;
Et mea, si qua super, vendere cuncta velim.
Carceris ergo dabor torquendus ad antra, trientem
Extremum donec solvero? Sic merui.
Sic merui; nisi tu mea maxima debita Gratis
Condonas, solita pro bonitate, Deus.
Quod, precor o, facias, Rex clementissime, Nati
Unigenae propter vulnera quinq; tui.*

222 Ad Jesum Christum.

*Solvere quis possit decies homo mille talenta,
Si vendat decies se deciesq; suos?
Pro ternis decies qui nummis venditus olim es,
Solvere tot pro me, Christe, talenta potes.
Namq; tuum Decies fudisti, Christe, cruorem;
Debita quò daret hic tanta soluta cruor.*

*Atq; decussatâ pendens crucis arbore formâ;
Solvisti hac decies mille talenta Patri.*

223 Ad proximum.

*Si cupis, ut Dominus tibi debita multa remittat;
Quæ superant numero mille talenta suo.
Des operam, fratri quoq; debita pauca remittas,
Hunc quibus obstrictum noveris esse tibi.
Qualis es in fratrem, talem tibi crede Jehovah:
Durus es? hic Judex pro Patre durus erit.*

224 Domin. 23. Trinit. Matth. 23.

*Cæsar opes, corpusq;: Deus vitamq; fidemq;
Exigit. Ergo lubens offer utriq; suum.*

225 Mundi sapientia, stultitia est.
Ibidem.

Nulla valet contra Christum sapientia Mundi:
Desipit hic quisquis se sapuisse putat.

226 Domin. 24. Trinit. Matth. 9.

*Sana fit à fluxu tangens muliercula Christum;
In vitam à Christo tacta puella redit.
Tange fide Christum, te tangat ut ipse vicissim:
Tactu eris hoc sanus, qui prius ager eras.*

227 Puella non mortua est, sed
dormit.

*Terrori ne Mors homini queat esse renato:
Non mors sed dulcis dicitur illa quies:*

Surge.

*Surgere voce sua nos unde jubebit Iesus,
Manè novum reditu cum dabit ipse suo,*

228 Mors somnus, Matth. 9.

*Cum sit imago Sopor Mortis, fac membra sopori,
Quando paras dare, sis Mortis ubiq; memor.*

229 Dominica 25. Trinitatis,
Matth. 24.

*Qua monstrent Solyma, qua Mundi signa ruinam,
Veridico Christus prodidit ore suis.*

*Si rata de Solyma vastanda signa fuerent,
De Mundi interitu non rata signa putes?*

230 Adventus CHRISTI fulguris
instar.

*Fulgur ad occasum veluti citò transit ab ortu:
Sic caelo reditus Christi inopinus erit.*

231 Pseudoprophetae, Matth. 24.

*Pseudoprophetarum ne pestilis implicet error,
Christe, regat verbi nos cynosura tui.*

232 Ad Christum, Matth. 24.

*Christe, cadaver eras, miseranda ubi morte cade-
bas;*

*Ut fieres aquilis esca cupita tuis.
Fac aquilas imiter; te secter ubiq; tuaq;
Usq; famem pellam carne, cruore sitim.*

233 *Dominica 26. Trinitatis,*
 Matth. 25.

Pastor ut innocuis hircos discernit ab agnis,
Lux ita summa bonos dividet atq; malos.
Quando Venite bonis, reprobis Rex dicet, Abite:
Et dabit astra Piis, Tartara nigra Malis.

234 *Judicii dies incertus,*
 ibidem.

Judicium veniet certò, sed nòsse negatum est
Terrigenis, quando Judicium veniet.

235 *Aliter.*

Præfinire annum voluere diemq; futuro
Judicio multi, sed sine judicio.

236 *Vita mihi Christus, Mors lu-*
 crum, Phil. 1.

Si mihi sint mortis terrori spicula; dico:
Visa mihi est Christus, Mors mihi dulce lucrum.

237 *Aliter.*

Quid mortem metuam? Vita est mihi dulcis Iesus:
Ergò mihi & funus nobile fœnus erit.

Mortui

238 Mortui in Domino felices.
Apoc. 14.

*Felices anima, quibus est fortuna perfecta
Jam sua; quas cives patria vera fovet.
Nos alia ex aliis in fata subinde vocamur,
Dum gerimus lutea texta misella domus.*

239 Audi, vide, tace, Jacob. 1.

*Audi multa, vide multum; ne multa loquaris:
Multa loqui nocuit: nil tacuisse nocet.*

240 Baptismus, Johan. 3.

*Nemo hominum natus, sacro nisi fonte renatus,
Ætheria potis est templa subire domus.*

241 Ex verbis Pauli Apostoli, 2.
Corinth. 5.

*Mortuus est Christus pro me, proque omnibus, omnes
Nos illi, haut nobis vivere quod deceat.*

242 Justitia humana, Matth. 5.

*Si, meritis nisi templa suis qui scandit Olympi,
Nemo beatus erit, nemo beatus erit.*

243 Nomen Jesu, Actor. 4.

*Non utroque datum est cæli sub cardine nomen,
Quo speranda homini vita, salusque reo:*

D 5

Quam

*Quam nomen Jesu, super omne suave quod usquam
est:*

Hoc frueri, ut possis usq; salute frui.

244 DEUS dat & velle, & posse,
Philip. 2.

*Posse, Pater, da summe mihi, qui velle dedisti:
Ut bene sic ceptum perficiatur opus.*

245 Aliter.

*Te sine, Christe, boni nil quando velim neq; possim:
Da mihi velle precor, da mihi posse bonum.*

246 Herodis incertus, Marc. 6.
Matth. 14.

*Vivitur ex rapto! non hospes ab hospite tutus:
Fraterno Herodes utitur hospitio.*

*Pro jure hospitii sed grates reddidit istas:
Quod rapta fratris conjugis mæchus abit.*

247 Fides salvat, Rom. 4.

*Non opus, una fides olim salvabit Abramum:
Nos quoq; justificat, non opus, una fides.*

248 Spes Resurrectionis, I. Co-
rinth. 15.

*Non miserum magis in terris quid vivit homullis,
Si non hos vita spes melioris alat.*

San-

249 **Sanguis CHRISTI, I. Jo-**
han. 1.

*Christe, tuus mundat nos crimine sanguis ab omni;
Servat ab aeterna mors tua morte pios.*

250 **Totius mundi possessio,**
Matth. 16.

*Totius, ah! tibi quid possessio conferet orbis,
Jaecturam misera si facias anima?
Quid dabis, ut redimas animam? vel totius orbis
Impendas; tamen his non redimetur, opes.*

251 **Linum fumigans, Matth. 12.**
Esa. 42.

*Cum tibi fumantis sit cura flamma lucerna,
Quassatus cura cum tibi sit calamus:
Christe, mea tibi sit fidei quoque flammula cura;
Nec sine fomento hanc deficiente mori.*

252 **Christus & Belial, 2. Co-**
rinth. 6.

Non lux, non tenebra, non pax, non pugna cohae-
rent:

Participat Christus cum Beliale nihil.

253 **Dives & Camelus, Matth. 19.**

*Posse foramen acus facile est penetrare Camelum
Caelica si dives regna subire potest.*

254 Deus fidelis, I. Cor. 10.

*Fer patienter onus crucis & confide Jehovæ;
Non ultra vires te sinet ille premi.*

255 Lingva hominis, Jac. 3.

*Serpentum, volucrumq; potest homo secla domare:
Solum hominis lingvam nemo domare potest.*

256 Arcta via, Matth. 7.

*Tende per angustam quisquis petis athera portam:
Ad stygios ducit nam via lata lacus.*

257 Vulpes & volucres, Matth. 8.

*Divitiis superant quæ Regem animalia regum?
Vis dicam? hunc vulpes, hunc & aves superant.
Sunt avibus siquidem nidi; sua vulpibus antra:
Sed caput haut regum Rex, ubi ponat, habet.*

258 Opera tenebrarum, Rom. 13.

*Quid tibi cum tenebris, qui lucis filius audis?
Abjice noctis onus, suscipe lucis opus.*

259 Estote prudentes, Matth. 10.

*Christus serpentes imitari precipit astu:
Chaonias studio simplicitatis aves,*

Deus

Nolite

260 Nolite sanctum dare canibus,
Matth. 7.

*Turpe sui gemmas, Moschum dare turpe catellis :
Sacra sed indignis est dare turpe magis.*

261 Labia & Cor, Matth. 15.

*Nil est, quod Domino labiis atq; ore propinquas,
Intima si cordis sint procul inde tui.*

262 Mundus sui similis, Luc. 17.

*Qua facies erat in perituro pristina mundo ;
In mundo hanc faciem nunc pereunte vides.*

263 Habenti dabitur, Marc. 4.

*Si quid habet quis, ei plura & majora dabuntur :
Si quis habet nihil ; is perdet, & id quod habet.*

264 Avaritia, Luc. 12.

*Crimen avaritiae fuge : Nam non prorogat inde
Ullus homo vitam, quod bona multa tenet.*

265 Propheta in Patria, Matth. 13.

*Acceptus patria non est in gente Propheta :
Exemplo Christi quod patet esse ratum.*

266 Ratio reddenda, Matth. 12.

*Cum reddi ratio de verbo debeat uno-
Quolibet, in verbis parcius esto tuis.*

267 **Cruce ferenda, Matth. 16.**

*Quisquis ad astra sequi Christum cupis, effuge te-
met;*

Sed placide impositam non fuge ferre crucem.

268

Alicer.

Sperne caduca crucis nec onus portare recusa:

Exoptas Christum quisquis ad astra sequi.

269

Fidei ratio reddenda,**Matth. 10.**

Nil fidei ratio si sit reddenda, timete:

Verba facit Flatus vestra per ora sacer.

270

Petrus super aquas,**Matth. 14.**

*Confisus Christo liquidum super ambulat aquor
Petrus; at exorto fertur ad ima Noto.*

Et nisi lapsantem Christi porrecta levasset

Dextra, necaturis obrutus esset aquis.

Nostra fides valida est rebus quoque fulta secundis;

Rebus in adversis spesque, fidesque labant.

Tu suppone manum, Jesu; tua dextra ruentes

Erigat, et mergi nos, pie Christe, vetet.

271

Exauditio precum, Matth. 21.

Quod petis, accipies, modo, qui petis, acriter instes:

Atque fide repetas non dubitante preces.

Vir

272 Vir & uxor, Matth. 19.

*Fœmina, virq; duo quamvis sint corpore; fiunt
Conjugio una tamen fœmina virq; caro.*

273 Christus Peccatorum salus,
1. Tim. 1.

*Vox ô grata nimis, vox ô preciosior auro;
Qua nihil & miseris dulcius esse potest:
Quod peccatores ut salvet Iesus in orbem
Venit, homoq; heminum est factus amore Deus.
Hos miser inter ego miseros sum primus: an ergò
A merito longè sim miserentis ego?*

274 Sermo spurcus, Ephes. 4.
1. Corinth. 15.

*Spurcus ab ore tuo, cave, sermo prodeat unquam:
Nam sermo mores inficit iste bonos.*

275 Omnia cœlitus, Johan 3.

*Nil sibi quis sumit, nisi detur cœlitus, ergò
Omnia posce tibi, qua petis, inde dari.*

276 Vera libertas, Johan. 8.

*Peccati servus, qui peccat, habetur; & olim
Cum servis exsul cogitur ire foràs.
In libertatem quem Natus at asserit, inter
Is natos patria liber in æde manet.*

Jesus

277 *Jesus venit quærere Peccatores,*
Luc. 19.

Quærere venisti, Jesu, non perdere fontes :
Ergò me fontem quære, age, Christe, reum.

278 *Dominus & servus, Coloss. 3.*

Ne Dominus seruo durus nimis esto fideli :
Ante Deum cum sint servus herusq; pares.

279 *Satanæ potestas, Matth. 8.*

Magna quidem Satana est: sed & est frenata potestas:
Quando is permissu nil valet absq; Dei.
Nam vel in immundos sibi juris sumere porcos,
Ni veniam Christus det, nihil ille potest.
Si suis nihil ergò valet nocuisse lutosis,
Ex se, ni detur cœlitus hocce Satan :
An nobis noceat, nisi permittente Jehova :
Præ porcis magno cui sumus in precio ?

280 *Fratres Christi, Matth. 12.*

Observant summi quotquot data jussa Parentis,
Vult fratrum & Matris Christus habere loco.
Jussa fac ergò Dei noctes meditare diesq;
Tanti hujus frater fratris ut esse queas.

Chri-

281 Christus omnibus præferendus,
Matth. 10.

*Qui matrem Christo præfert in amore, patrem ve,
Hunc habet indignum Christus amore suo.*

282 Ex verbis Christi, Matth. 13.

*Sol veluti cælo si corpora nostra micabunt:
Lux illic anima, dic age, qualis erit?*

283 Crux ferenda, Matth. 16.

*Tolle crucem, & Christi vestigia fortiter urge:
Ducit ad atherias hac via sola domos.*

284 Ex verbis Christi, Luc. 7.

*Quæ fieri non vis tibi, nulli feceris unquam:
Fac aliis, fieri quæ cupis ipse tibi.*

285 Ex verbis ejusdem,
Luc. 9.

*Si retrò spectet, qui dextram admovit aratro:
Non dignus regno ducitur esse Dei.*

286 Ex verbis Apostoli, I.
Corinth. 7.

*Si factus Christi es precioso sanguine liber:
Nam te vis hominum subdere servitio?*

Cibus

287 *Cibus non periturus, Jo-*
han. 6.

Quarere quid satagis perituram corporis escam?
Qui perit haut ullo tempore, quare cibum.
Hunc hominis Christus gratis tibi filius offert:
Nec, licet intereant terra polusq³, perit.

288 *Ex verb. Christi, Johan. 6.*

Nemo sua venit ad Christum virtute, Parentis
Ætherii quem non traxerit alma manus.
Summe Pater, tua me trahat, ô quoque à dextera;
Christo
Infitus ut maneam surculus usq³ tuo.

289 *Ex verbis ejusdem. Matth. 7.*

Non is cui Domini nomen natat ore; sed hujus
Qui pius exsequitur jussa, beatus erit.

290 *Ex verbis ejusdem. Luc. 17.*

Omnia qui fecit, si servus inutilis audit,
Quis niti meritis audeat ante Deum?

291 *Oculi beati. Luc. 10.*

In verbi quisquis videt hinc anigmate Christum;
Hunc facie ad faciem cernet in arce poli.

292 *Ex verbis Christi, Luc. 17.*

Non Christi externo pietatis schemate regnum,
Pectoris interna sed pietate venit.

Mors

293 Mors piis lucrum.
Philip. I.

*Vita mihi est Christus, mihi funus amabile scœnus :
Sitne igitur mortis mentio amara mihi ?*

294 Ex verbis CHRISTI.
Luc. 21.

*Quicquid habet mundus, cum mundo hoc interit
ipso :*

Enthea sed nequeunt verba perire Dei.

295 Fides. Luc. 17.

Christe, fides instar grani est mea parva Sinapis ;

Fortè etiam minor hoc est mea, Christe, fides.

Sentio id, & crucior : Fidei largitor, & auctor,

Sumat ut augmentum, fac mea, Christe, fides.

Parva satū primo velut aucta Sinapis, ad instar

Arboris, hospitium sufficit alitibus.

Rore tui mea sic verbi, Flatusq; calore

Ætherii crescat, Christe, fac aucta fides.

296 Ex verbis Pauli. Rom. 8.

Nullius insidias hostis, rabiemve timemus ;

Nobiscum est quovis fortior hoste Deus.

Aliter.

297

Aliter.

*Nobiscum Deus est quocunq; potentior hoste:
Nullius ergo minas, insidiasve tremo.*

298

Lingva, Jacob. 3.

*Optima pars hominis lingua est, pars pessima lingua
est:*

*Pendet ab hac vita jus simul atq; necis.
Sapius ut totam, quàm magna est perdere silvam,
Scintilla ex minima flamma coorta solet:
Lingua domos, urbesq; potest ita vertere totas;
Totaq; cum populis perdere regna valet.
Qui sapiis ergò mala virus compescito lingua:
Ne vires sumat, teq; aliosq; premat.*

299

Ex verbis Apostoli, I. Co-
rinth. 9.

*Ara qui servit, victum sibi querat ab ara:
Servo ut hara victum vel sua prestat hara.*

300

Patriæ veræ desiderium,
Johan. 14.

*O Patria! ò regio vivorum florida; quando
Possè frui dabitur te sine fine mihi?
Morte caret tua vita; carent tua gaudia luctu,
Pax tua lite caret, lux tua nocte caret.*

Mors

Mors contra furit hîc; furit hîc lis, luctus ubiq³ est:

Plenaq³ sunt tenebris omnia Cimmeriis.

Ergò quis exsilii tenebris meliberet hujus,

Et civem patriâ sistat in aetheriâ?


Tu via, tu comes es: tu janua vitaq³, Jesu, es:

Tu trahere me; tu me sidera ad alta leva.

Finis Libri primi.



E P I



EPIGRAMMATUM
PIORUM
LIBER II.

*Ex verbis S. S. Patrum Ortho-
doxorum.*

Magnifico, Consultissimoq; Viro;
Eruditione, Prudentia, & Autori-
tate Præstantissimo

Dn. NICOLAO BRAUNS,

*In Australi Dithmarsia Præfecto Pro-
vinciali spectatissimo, Domino & ami-
co meo observando.*

S. *Prosperi, Tyronis, Aquita-
nici, Reginensis Episcopi, Ma-
gnifice & Consultissime Vir, ami-
ce observande, in manibus Do-
ctorum*

Etorum versantur Epigramma-
 ta, quæ ex sententiis plerisque
 B. Augustini, versibus Elegiacis
 ipse confecit. Florulentos enim
 D. Aurelii campos, non à limine,
 tanquam parùm plausibiles, sa-
 lutavit; verum in ipsa penetra-
 lia ingressus, lynceis quæquæ oculis
 sagaciter collustrans, paucos flo-
 sculos ex tam multis, apum more
 (quæ momentosa rapina, non ex
 omnibus carpunt, quod earum
 melliturgio congruit) ipse decer-
 psit, Domino, ut in Levitico jube-
 mur, mellis primitias oblaturus,
 ne tanquam a symbolus ab Eccle-
 sia Christi Opt. Max. elimina-
 retur.

retur. Quae Joannis Adicollii
 verba sunt, quibus ante plus
 quàm centum annos Prosperi
 carmina, velut suspensa hederâ,
 commendare voluit. Ad hujus
 imitationem & ego, si quando in
 lectione S. S. Patrum versatus
 sum, flosculos aliquot, apum mo-
 re delibare, & in numeros conte-
 xere, pro meo modulo volui. Ho-
 rum QUADRINGENTOS, sub
 totidem Epigrammatum titulo,
 amicorum hortatu, jam in publi-
 cum produco, & lectori pio, qui
 isthæc talia amat, exhibeo. Hisce
 cum patronus mihi legendus es-
 set, Tu cum primis, vir Magni-
 fice,

fice, & Consultissime, amice plurimum observande, præ multis aliis occurristi, cui foetum hunc meum committendum esse, commodissimum arbitratus sum. Tantamenim, cum aliis nostri ordinis, tum mihi imprimis etiam multoties hætenus benevolentiam atque humanitatem tuam probasti, ut non solum hoc quicquid est versicolorum, sed multo bis etiã majora, summo tuo merito, tibi consecrari atque deferri deberent. Tuum erit, vir spectatissime, libellum hunc eo animo, quo à me offertur, benevolo nempe, excipere, meq, quod hætenus

E

feci-



*fecisti, favore atque amore tuo
 complecti. Ita sanè ad istam, qua
 te colo, observantiam, atque ad
 eum, quo te prosequor amorem,
 magna fiet accessio. Vale, Ma-
 gnifice, & Consultissime vir, ami-
 ce plurimum observande, cum
 conjugè tua honestissima, liberis-
 que dulcissimis. Dabam Crempis
 Holsat. Prid. Calend. April. An-
 no Christi, quem hoc symbolum
 continet:*

IesVs' tVtor CreDentIVM.

Magnif. T.

Observantis.

Gviliclmus Alardus.

E P I



EPIGRAM-
MATUM PIO-
RUM

LIBER II.

Ex verbis S.S. Patrum Or-
thodoxorum.

1 Ex verbis Bernhardi.

*Quisquis es, afflicti qui sentis vulnera cordis,
Et medicam misero pectore quaris opem:
Dirige cor mæstum Crucifixi ad vulnera Christi:
Sunt ea vulneribus certa medela tuis.*

2 Ex verbis Nazianzeni.

*Crastina qui spectas, hodiernaq; negligis amens;
Insidiis Satana ne capiare, vide:
Nam mihi da presens, ait ille, Deoq; futurum:
Sis hodie noster, cras potes esse Dei.*

E

a

Æta

ICO EPIGRAMM. PIORUM

*Ætatis florem mihi da, roburg, juventa:
Sera sit atherio sacra senecta Deo.
Turpe sed est Satana Flores sacrare juventa:
Et senii Feces inde dicare Deo.*

3 Ex verbis Basilii M.

*Fumus apes abigit, fatore columba fugatur:
Peccato cætus pellitur Angeli us.
Ergò vide, ne sis pollutus crimine, tutus
Angelico qui vis, esse satellitio.*

4 Ex verb. Chrysofomi.

*Si male parta voles benè partis addere: Pauca
Parta male, perdent plurima parta benè.*

5 Ex verb. Hieronymi.

*Omnis homo pecus est, sapiens licet esse putetur:
Absq; Creatoris cognitione sui.*

6 Ex verb. Cypriani.

*Quid placide vita functos lugere necesse est:
Non obeunt, abeunt: non pereunt, præeunt.*

7 Ex verb. Ambrosii.

*Nôsse Deum vis? disce, Deo doctore, quod optas:
Nam Deus est nulli cognitus absq; Deo.*

Ex

8 Ex verb. Augustini.

Crimina si sua calat homo, Deus ipse revelat:

Si tegit ille nefas, detegit hicce nefas.

Si scelus agnoscit, Deus est ignoscere promptus:

Hoc homo quando aperit; tum Deus ipse operit.

9 Ex verb. Tertulliani.

Cur doleas, quos non credis periisse? quid illum

Subduci quereris, qui rediturus abit?

10 Ex verb. Lactantii.

Fac, fieri quod vis; nec eos imitare magistros,

Qui, quod precipiunt, non tamen efficiunt.

11 Ex verb. Isidori.

Omni peccato est res desperatio peior:

Nulla ita culpa gravis, quin habeat veniam.

12 Ex verb. Gregorii.

Cordis ut auriculas tribulatio reddit apertas:

Sic solet has mundi claudere prosperitas.

13 Ex verb. Eusebii.

Cur hominis gemino lingua est circumdata vallo?

Nempe quod haut sermo debeat esse vagus.

14 Ex verb. Theophylacti.

Qui scit, ubiq; quod ante Dei versetur ocellos:

Abstinet à factis usq; & ubiq; malis.

15 Ex verb. Maximi Episcopi.

*Arcta via, angusta est, qua ducit ad aethera porta:
Nemo superbus homo quam penetrare potest.*

Ex sententia Haymonis. Episc. Halberst.

16 Ex verb. Christi. Matth. 18.

*Si quoties peccent oculiq³, manusq³, pedesq³,
Protinus abjicias: quam citò mancus eris?*

*Crede mihi, sunt pes, oculiq³, manusq³ propinqui;
Et quotquot sanguis junxit amorq³ tibi.*

*Hos quoties ponunt tibi scandala, desere, calum
Ut solus; ne cum his Tartara dira petas.*

17 Ex verb. Salviani.

*Non scelus est purgare, sed est augere reatum;
Post culpam si quis non velit esse nocens.*

18 Ex verbis Tauleri.

*Ne dubiis animum rebus miser abjice: Quando
Natura egreditur, tunc Deus ingreditur.*

19 Ex verb. Prosperi.

*Tàm peccata diu sua quis cognoscere nescit;
Quàm peccata diu nôsse aliena studet.*

20 Ex verbis Philonis.

*Divinum auxilium miseris solet esse paratum,
Humanum quando deficit auxilium.*

Ex

21 Ex verb. Theodoretii.

Accusatori non soli debet haberi;
Sic quamvis dignus cui sit habenda, fides.

22 Ex verb. Athanasii.

Vespa petram incursum non laedit, laeditur ipsa,
Telaq; sevitia perdit acuta sua.
Sic sibi, dum Christum petiit, Mors obsuit ipsi;
Sava latrocinii fregit & arma sui.

23 Ex verb. Ignatii.

Quisquis egestatem fugis; illius effuge matrem.
Mater egestatis proxima Desidia est.

24 Ex verb. Cassiodori.

Quarere rem bello non est fas, quarere Ponto,
Difficile est: technis quarere rem, scelus est.

25 Ex verb. Bonaventurae.

Sanna quas Christas tulit, atq; opprobria, nostra
Gloria sunt: hujus vulnera nostra salus.

26 Ex verb. Ephraimi.

Mente sua non haeret humi, sed fertur in altum;
Prosequitur vero quisquis amore Deum.

27 Ex verb. Origenis.

Ut citius caro, qua sale non condita putrescit;
Sic cruce mens hominis, n̄ saliat, erit.

Ex

E 4

Ex

28

Ex verbis Lutheri.

*Quicquid ubiq; vides: herbasq;, hominesq;, ferasq;,
Divina nôris nomina Grammatica.*

29

Ex verb. Hilarii.

*Non tantùm lege, sed quoq; lecta intellige: Namq;
Absq; intellectu est lectio sola nihil.*

30

Ex verbis Sidonii Apollinaris.

*Divitiis, vitiisq; simul nunc incubat omnis:
Censeri ex censu vult modò quisq; suo.*

31

Ex verb. Eucherii.

*Divitiis vitiisq; nimis cognatio magna est:
Nam sine vix vitiis divitiis frueri.*

32

Ex verb. ejusdem.

*Divitiis vitio sine cautior utere: namq;
Divitiis data sunt nomina de vitiis.*

33

Ex verb. Augustini.

*Quando sacro Christus voluit baptisate tingi:
Non lavit Christum, lota sed unda fuit.*

34

Ex verb. Bernhardi.

*Multi multa sciunt, ignorant se tamen ipsos:
Plurima scit, qui se noverit ipse domi.*

Ex

35 Ex verb. Augustini.

De peccatoris ne desperato salute :
Qui malus est hodie, cras bonus esse potest.

36 Ex verb. Hieronymi.

Non intercedat si pro me sanguis, Iesu,
Qui pro me fusus : non ego salvus ero.

37 Ex verb. Augustini.

Multaq; magnaq; sunt, Jesu, mea vulnera : Multa
Magnaq; sunt : major sed medicina tua est.

38 Ex verb. Lactantii.

Nosse Deum sola est sapientia : Desipit ergo
Quantumcunq; sapit, qui sapit absq; Deo.

39 Ex verb. Augustini.

Quod vis, Christe, jube : sed & ut parere jubenti
Sim promptus : mihi da, quod, pie CHRISTE,
jubes.

40 Ex verb. Cypriani.

Quid tibi cum luce hac, cui lux aeterna parata est ?
Quid tibi terra placet, si supera aula patet ?

41. Ex verb. Theophylacti.

Quando homines vivunt dirarum more ferarum,
Tunc leo, tunc ursus fit Deus ipse homini.

E S

Ex

42 Ex verb. Cypriani.

*Non rectè miser is, qui audit convicia, habetur:
Si convicia quis fecerit, is miser est.*

43 Ex verb. Gregorii.

*Non homines toties vel respirare decebat;
Debebant quoties commemorasse Dei.*

44 Ex verb. Cypriani.

*Hosce diu teneat vivendi hinc cæca libido:
Pæna mori quibus est, mors mihi dulce lucrum.*

45 Ex verb. Ambrosii.

*Quisquis es Isaidem peccantem huc usq; secutus:
Et respiscentem mox imitère vide.*

46 Ex verb. Augustini.

*Hic, Deus, ure: secus, Deus, hic: sumus omne paratè
Ferre; modo aeternis parcito suppliciis.*

47 Ex verb. Chrysostomi.

*Non hostem metuo fortem, quia fortior hoc est,
Qui pro me Princeps pugnat homo atq; Deus.*

48 Ex verb. Hieronymi.

*Non perdit justì nomen, qui surgere lapsus
Nititur, & rectum jam meditatur iter.*

Ex

49 Ex verb. Bernhardi.

*Incipiat verè tibi si dulcescere Christus :
Mundus amarescet , qui modò dulcis erat.*

50 Ex verb. Nazianz. & Isidori.

*Sic nos exhilarat nihil , ut mens conscia recti :
Et bona spes. Nihil his dulcius esse potest.*

51 Ex verb. Gregorii.

*Debilis ut formica Satan fit , quando resistis :
Sed leo fit , si tu segnior esse velis.*

52 Ex verb. Nazianzeni.

*Qui meritis hominum sua crimina tollere sperat :
Ille lutum speret posse lavare luto.*

53 Ex verb. Augustini.

*Autorem non esse mali , patet inde , Jehovaham :
Ipse quod iratus puniat omne malum.*

54 Ex verb. Hieronymi & Augustini.

*Otia pulvinar Satanae , viviq; sepulchrum
Sunt hominis ; sunt fons omnis in orbe mali.*

55 Ex verb. Augustini.

*Orbis hic exsilium est : sed cælum Patria nobis :
Non amat is Patriam , cui placet Exsilium.*

56 Ex verb. Cypriani.

*Is mortem timeat, qui Christum nolit adire :
Ad Christum cum sit mors via certa pio.*

57 Ex verb. Tertulliani.

*Nil nostrum est : Domini siquidem sunt omnia ; cuius
jus
Nos ipsi, & quicquid possumus, omne sumus.*

58 Ex verb. ejusdem.

*O felix meritò Patientia vera : Sequester
Cum tibi sit ; cum sit Debitor ipse Deus.*

59 Ex verb. Bernhardi.

*Non sine fluctibus est veluti mare : Christicolarum
Non sine lectibus est sic quoq; curriculum.*

60 Ex verb. Augustini.

*Cetera qua dare vult Deus auferat omnia ; solum
Se mihi det ; secum cetera cuncta dabit.*

61 Ex verb. Ambrosii.

*Nemo tibi Christum rapiet, nemo auferet unquam,
Ipsummet Christo te nisi surripias.*

62 Ex verb. Augustini.

*Qua mihi cunque DEUM præter sunt, dulcia non
sunt :*

Vel, quodcunq; Deum non sapit, omne sapit.

Ex

63 Ex verb. Bernhardi.

*Quid trepidabo, meus cum regnet in aethere san-
guis?*

A dextris sedeat cum mea massa Deo?

64 Ex verb. Augustini.

*Non tam certa ullis inveni pharmaca morbis;
Quam Christi nostris vulnera vulneribus.*

65 Ex verb. Cypriani.

*Quid querimur? qui, quod patitur, meruisse fa-
tetur*

Crimine; de penis desinat ille queri.

66 Ex verb. Augustini.

*Ipse mihi sine te, Pater optime, maxime, quid sum?
In praecipuum nisi dux? dux nisi in interitum?*

*Ergo ne sine me, sine te ductore, vagari;
Qui duce me pereo, te duce salvus ero.*

67 Ex verb. Cypriani.

*Commisisti crimen delicti smegmate nullo
Abluitur. Salsis abluatur lachrymis.*

68 Ex verb. Bernhardi.

*Num nos deseret is, de nostra qui caro carne est;
Et qui de nostris ossibus ossa gerit?*

69 Ex verb. Augustini & Bern-
hardi.

*O quàm mirus amor! quanta ô dilectio? Nato
Non parcit, servus quò redimatur, Herus.*

70 Ex verb. Cypriani.

*Divina tibi sit scriptura lectio cura:
Qua docet indociles, & monet immemores.*

71 Ex verb. Hieronymi.

*Non sic insulsus quis scriptor habebitur unquam,
Lectorem qui non inveniat similem.*

72 Ex verb. Cypriani.

*Non illos Satanas querit, quos ante subegit:
Hos querit nondum, quos videt esse suos.*

73 Ex verb. Chrysofomi.

*Ad mala facta potest te hortari Daemonis astus:
Non tamen ad mala te cogere facta potest.*

74 Ex verb. Augustini.

*Dives is est, qui nil quàm possidet, expetit ultra:
Pauper at est, quisquis ditior esse cupit.*

75 Ex verb. Lactantii.

*Non tantùm bona sunt hujus fallacia vitæ:
Sed quia dulcia sunt, insidiosa simul.*

Ex

76 Ex verb. Augustini.

*Non moritur male, qui bene vixerit antè: sed ille
Vix moritur bene, qui vixerit ante male.*

77 Ex verb. ejusdem.

*Non mea me peccata, licet sint plurima, terrent:
In mentem Christi vulnera si veniant.*

78 Ex verb. Cypriani.

*Grata Deum charta res est inscribere: sed res
Gratior in memori est scribere mente Deum.*

79 Ex verb. Augustini.

*Scire cupis, veniat nostra unde Vocatio? manat
Illa ex gratuiti fonte Beneplaciti.*

80 Ex verb. Hieronymi.

*Ille inimicitias sibi noverit esse paratas,
Exoptat Christi quisquis amicitiam.*

81 Ex verb. Augustini.

*Non adeò metuendus erit, cum se vit apertè,
Fallere quàm tacita cum parat arte Satana.*

82 Ex verb. Gregorii.

*Quem mundus spernit, mundus quem rejicit; ille
A Christo in cælis suaviter excipitur.*

Ex

83

Ex verb. Augustini.

*Cælitus, eiq; sinu summi traxere Parentis,
Nostra Dei Natum crimina, non merita.*

84

Ex verb. Hieronymi.

*Non de judicio nimis extollaris amantum;
Cæcus amor cæco fallitur arbitrio.*

85

Ex verb. Ambrosii.

*Affectum Patri debes matriq; : salutis
Auctori debes majus at obsequium.*

86

Ex verb. Augustini.

*Non felix censenda illa est Respublica : Muri
Qua stant : si mores cum pietate ruant.*

87

Ex verb. Lactantii.

*Sic optes vitam producere longius istam;
Ut vita dignum nempe quid efficias.*

88

Ex verb. Augustini.

*Est felix meritò, qui possidet omnia, qua vult:
Sed modò ne, deceant qua minus, ulla velit.*

89

Ex verb. Lactantii.

*Cùm brevis hæc sit vita, hujus simul omnia vita,
Seu mala, seu bona sint, & brevia esse patet.*

Ex

90 Ex verb. Augustini.

*Est nulli nocuisse parum, prodesse paratus
Ni simul & multis ex animo fueris.*

91 Ex verb. Ambrosii.

*Hoc senium verè reputo venerabile: non quod
Albescit canis, sed potius meritis.*

92 Ex verb. Gregorii.

*Nemo praeesse aliis prius audeat, ipse subesse
Quam didicit: Discat, quàm regat, ante regi.*

93 Ex verb. Lactantii.

*Vir placet ille Deo, quisquis sibi displicet ipsi:
Qui placet ipse sibi, displicet ille Deo.*

94 Ex verb. Lactantii.

*Res nimis est simulare frequens; utinam facile esset
Tàm prestare bonum, quàm simulare bonum.*

95 Ex verb. Ambrosii.

*Si quis peccatis non abstinuisse laborat:
Quid prodest licitis abstinuisse cibis?*

96 Ex verb. Gregorii.

*Sic vixi, sic & porrò, dum vixero, vivam;
Accusatorem ut non timeam exterius.*

O nti-

*O utinam quoq; sic, dum vixero, vivere possim,
Accusatorem ut non habeam interius.*

97 Ex verb. Lactantii.

*Cum sis mortalis, tua sit mortalis & ira:
Nunquam immortales spera inimicitias.*

98 Ex verb. Augustini.

*Non fieri poterit, quin sit mors hujus amara,
Cujus amor dulcis, grataq; vita fuit.*

99 Ex verb. Lactantii.

*Sic vivas, ratio quasi sit reddenda supremi
Judicis ante thronum, cras, hodieve tibi.*

100 Ex verb. ejusdem.

*Disce prius, qui vis alios cum fruge docere:
Nam qua non didicit, nemo docere potest.*

101 Ex verb. Hieronymi.

*Nescio, quas vires habeat vox viva latentes:
Pectora discentum fortius ut feriat.*

102 Ex verb. Chrysostomi.

*Si doceas bene, sed vivas male: qua ratione
Te damnare Deus debeat, ipse doces.*

103 Ex verb. Cypriani.

*Si mortem posses evadere, jure timeres:
At nunc mortalem est quemq; necesse mori.*

Ex

104 Ex verb. Hieronymi.

*Legi, perlegi, sacra atq; profana relegi:
Non vidi justum morte perisse mala.*

105 Ex verb. Gregorii.

*Señator pacis Domini si filius audit:
Turbator pacis filius est Satana.*

106 Ex verb. Lactantii.

*Omnis in hoc hominis sapientia vertitur uno:
Ut verum rectè noscat ametq; Deum.*

107 Ex verb. Tertulliani.

*Quam Deus ex nihilo fecit, carnemne valeret
Productam in nihilum, de nihilo exprimere?*

108 Ex verb. Augustini.

*Attendis, quid homo tibi fecerit, haut tamen idem
Attendis, quid tu feceris ipse Deo.*

109 Ex verb. Hieronymi.

*Quisquis es, in terris ea disco, scientia quorum
Permanet in cælis: Cætera cuncta ruunt.*

110 Ex verb. Gregorii.

*Spiritus è cælo datur; ut cælestia amentur:
In terris datur, ut frater ametur homo,*

Ex

111 Ex verb. Bernhardi.

*Quo non sis melior factus, periisse putato
Quem vis transacti temporis articulum.*

112 Ex verb. Hieronymi.

*Sera nimis nunquam est, modo sit conversio vera:
Sera licet raro vera sit atq; proba.*

113 Ex verb. ejusdem.

*Principium vera est, sua crimina flere, salutis;
Commissumq; prius non iterare nefas.*

114 Ex verb. Bernhardi.

*Illecebris mundi Satanq; resistito, cinctus
Angelico si vis esse satellitio.*

115 Ex verb. Gregorii.

*Non bonus est, tolerare malos quicumq; recusat,
Quando malos ipsum scit tolerare Deum.*

116 Ex verb. Hieronymi.

*Summa est nobilitas clarum virtutibus esse:
Virtuti hinc, qui vis nobilis esse, stude.*

117 Ex verb. Cypriani.

*Tunè Deum meminisse tui vis, quando precaris,
Cum sis, quando oras, non memor ipse tui?*

Ex

118 Ex verb. Augustini.

Christus pro Nobis orat, sine fine, sacerdos:

Et nostrum in nobis orat ubiq³ Caput.

A nobis, Pater ut noster, Dominusq³ rogatur:

Nostra igitur careant pondere vota suo?

119 Ex verb. ejusdem.

Nos suprema dies latet, observentur ut omnes:

Idcirco summa est qua³ putanda dies.

120 Ex verb. Cypriani.

Hic aeterna salus aut perditur, aut retinetur:

Hic resipiscendi, non alibi locus est.

121 Ex verb. Hieronymi.

Nil miserum magis est, quam numen temnere, num-
mum

Propter; & argento posuisse Deum.

122 Ex verb. Gregor. Nazianz.

Dic mihi, quid pulchrum est, nil quo sit pulchrius us-
quam?

Utile, dic mihi, quid, quo nihil utilius?

Vis verbo dicam? Pax & Concordia fratrum est:

Pulchrius hac nihil est, hac nihil utilius.

123 Ex verb. ejusdem.

Dic mihi, quid turpe est; quo nil sit turpius usquam?

Quidq³ nocens, quo sit res magè nulla nocens?

Vis

*Vis dicam? Lis est tetra & Discordia fratrum,
Turpius hac nihil; hac res magè nulla nocens.*

124 Ex verb. Augustini.

*Tristia, qua pateris modò, habent finemq; modum-
que:*

Qua bona post capies, sine modoq; carent.

125 Ex verb. Hieronymi.

*Crimina sunt mea magna; Dei miseratio major:
Grande malum est; major sed medicina malo.*

126 Ex verb. Augustini.

*Non quod habes, sed quid desit, perpende, videbis
Multò, quàm teneas, plura deesse tibi.*

127 Ex verb. Bernhardi.

*Vincitur invictus precibus, precibusq; ligatur
Omnipotens: Qua sit vis patet inde precum.*

128 Ex verbis Hieronymi.

*Tempora, ne dicas, meliora fuère priora;
Quàm nunc sunt, culpâ tempora namq; vacant,
Virtutes hominum peccataq; tempora mutant:
Optima dat virtus, deteriora nefas.*

129 Ex verb. Augustini.

*Cor nondum didicit, quid sit Deus: Ergò nec ulla,
Quod cor non didicit, promere lingua potest.*

Ex

130 Ex verb. Gregorii.

*Cum quid das inopi, huic sua reddis, non tua donas :
Nam Pater est inopum, qui tibi cuncta dedit.*

131 Ex verb. Augustini.

*Da Christo in terris, in caelis ut tibi reddas,
Largiter aternas sic cumulabis opes.*

132 Ex verb. eiusdem.

*Si quid a te es dare, da : si non affabilis esto :
Velle, facultati par aliquando fuit.*

133 Ex verb. Lactantii.

*Excelsi est aximi mortalia temnere ; Parvi est
Esse putare aliquid, quae peritura brevi.*

134 Ex verb. Augustini.

*Quid prodest, quod habes, habeas licet omne, quod
usquam est ?
Si nec habes ipsum, qui dedit omne, Deum.*

135 Ex verb. Chrysostomi.

*Mensuram pelagus recipit vastumq; patensq; :
Mensuram Domini gratia non recipit.*

136 Ex verb. Hieronymi.

*Sit, quod agas, tibi semper opus, ne rector Averni
Otia te inveniat desidiarq; sequi.*

137 Ex verb. Isidori.

*Sit contra lingua gladium Patientia scutum,
Et detractoris spicula nulla time.*

138 Ex verb. Hieronymi.

*Omnia contemnit facile is, qui se moriturum
Cogitat, & vitæ spem melioris alit.*

139 Ex verb. Nazianzeni.

*Aëra non totum velut unus homo hauriet unquam:
Concipiet totum nemo ita mente Deum.*

140 Ex verb. Chrysofomi.

*Serpentem gestare sinu est res tutior atrum:
Quàm gestare iram pectore, & invidiam.*

141 Ex verb. Isidori.

*Nil securius est, nihil est jucundius usquam:
Mens quàm nullius conscia quæ sceleris.*

142 Ex verb. Chrysofomi.

*Exactor non sit vindictæ durior ille:
Peccati veniam qui petit ipse sui.*

143 Ex verb. Cypriani.

*Vinciri possit licet, occidi quoq; Veri
Adfertor: Vinci non tamen ille potest.*

Ex

144 Ex verb. Hieronymi.

*Furtum est alterius damno, quod quaritur, & quod
Inventum est, si non restituatur hero.*

145 Ex verb. Isidori.

*Esto tuis parvus, Domini ut sis magnus ocellis
Si vilis tibi sis, huic preciosus eris.*

146 Ex verb. Bernhardi.

*Non grates dixisse sat est, egisse decebit
Nam placet Actio, non Dictio sola Deo.*

147 Ex verb. Cypriani.

*Pro nobis qui jura semel necis horrida vicit
In membris semper vincit, ovatq; suis.*

148 Ex verb. Ambrosii.

*Non quantum, sed de quanto, & quo pectore detur
Respicit is, sibi qui vult inopiq; dari.*

149 Ex verb. Bernhardi.

*Sufficit ad meritum, no visse; quod omne salutem
Ad veram, nostrum nil faciat meritum.*

150 Ex verb. Chrysostomi.

*Victima nulla Deum sic placat, crimina corde
Quam si contrito confiteare tua.*

151

Ex verb. Isidori.

Qui fratrem tarde sibi conciliare laborat ;
Iratum tardat conciliare Deum.

152

Ex verb. Lutheri.

Tam tua, Christe, recens mihi mors est, hanc quasi
lucē,
Pro me sis passus vulnera, probra, necem.

153

Ex verb. Augustini.

Qui non consentit, non sentit spicula Ditis ;
Consentire igitur, qui sapis, usq; cave.

154

Ex verb. Bernhardi.

Ad Christi si quis convertet vulnera mentem ;
Vulnera non unquam sentiet ille sua.

155

Ex verb. Augustini.

Sit, quem pœniteat ; sit qui sua crimina plangat :
Qui misero veniam det, miserator erit.

156

Ex verb. Isidori.

Ne contende, solet contentio gignere lites ;
Lis rixas, odium rixa ; odiumq; necem.

157

Ex verb. Augustini.

Non modo non delet peccatum oratio ; at ipsa est
Peccatum : in Christum non animata fide.

Ex

158 Ex verb. ejusdem.

Si pius es, sit vera tibi dilectio cura:

Utq; odium effugias effice, si pius es.

Namq; odium mors est, dilectio vita piorum;

Nonne igitur vita est morte putanda prior?

159 Ex verb. Isidori.

Hos lugere decet, quos triste in Tartara funus

Præcipitat; non quos aula superna capit.

160 Ex verb. Ambrosii.

Os Christus nostrum est: simul idem est noster oculus;

Quoq; Patri loquimur, quoq; videmus eum.

Idem nostra manus, quâ nosmet nostraq; Patri

Offerimus, placet huic nil nisi ab hacce manus.

161 Ex verb. Salviani.

Qui sibi se excusat reus, & sua crimina calat;

Ipsemet accusat se miser ante Deum.

162 Ex verb. ejusdem.

Paupertas aliquos soles insinuare Jehove,

Quos fecisse reos divitiæ poverant.

163 Ex verb. Augustini.

Si quantum vellet Sathanas nocuisse valeret,

Nostram unâ posset quis superesse diem.

164 Ex verb. Bernhardi.

*Radix cunctorum velut est vindicta malorum :
Sic amor est omnis fons & origo boni.*

165 Ex verb. Cassiodori.

*Spes dicta est stabilis quasi pes : sed firmiter ut stet,
Spes quasi pes, solo nixa sit illa Deo.*

166 Ex verb. Hieronymi.

*Nos Deus ut curet flagro crucis, acriter urit :
Vulnerat, ut solidet, dejicit, ut releuet.*

167 Ex verb. Bernhardi.

*Auferat ille trabem de nostris censor ocellis :
Qui festucam oculo non habet in proprio.
Non homo nudus is est, sed homoq; Deusq; redemptor,
Omni festucâ qui caret atq; trabe.*

168 Ex verb. Basilii.

*Tandem, acolaste, redi; neq; differ adire parentem;
Tâm citò non venies, quàm citò praveniet.*

169 Ex verb. Hieronymi.

*Fortior est nemo, quàm qui Stygis arma subegit :
Maximus est carnem, qui premit imperio.*

Ex

170 Ex verb. Eusebii.

*Qua sunt magnifico despecta neglectaq; mundo;
Sunt ea mirifico grata & amata Deo.*

171 Ex verb. Basilii M.

*Hostibus ut patet urbs, nullo circumdata vallo;
Sic homo praesidio nudus ab angelico.*

172 Ex verb. Bernhardi.

*Tempore nobilius nihil aut pretiosius usquam est
Cur tamen hoc toto est vilius orbe nihil?*

173 Ex verb. Hieronymi.

*Quos genuinus amor junxit, non separat horum
Dissita diversis pectora terra locis.*

174 Ex verb. Augustini.

*Plus est pauperibus stellatum cernere caelum,
Quam tectum auratum cernere divitibus.*

175 Ex verb. Isidori.

*Et mores fugit & consortia prava malorum,
Caestem verè quisquis amat patriam.*

176 Ex verb. Bernhardi.

*Inspidus cibus est anima, nisi nomine Jesu est,
Ceu sale, conditus: quo sale dulce sapit.*

177 Ex verb. Hieronymi.

*Est multò satius stomachus tibi naufoet ager;
Quàm tibi mens morbo langveat agra gravi.*

178 Ex verb. Constantini Imperat.
ap. Nicephor.

*Qui veniam ipse sui cupit impetrare reatus,
Frærum delictis is quoq; det veniam.*

179 Ex verb. Hieronymi.

*Cordati quia vita viri est Meditatio mortis,
Assidue mortem fac meditare tuam.*

180 Ex verb. Augustini.

*Quin homo te vermem pudeat tandem esse super-
bum,*

Est humilis factus cuius amore Deus.

181 Ex verb. Isidori.

*Non domus hic nobis; neq; mansio certa parata est:
In cælo est domus & mansio certa pius.*

182 Ex verb. Hieronymi.

*Peccato immunes nil nos ita servat ab omni:
Quam pietatis amor, suppliciiq; timor.*

183 Ex verb. Gregorii.

*Devitare malum est sapientia prima; Secunda est
Velle & amare bonum; Tertia, recta sequi.*

Ex

184 Ex verb. Ambrosii.

Si qua rogare Deum vis, magna rogare memento :

Non terrena roga, non peritura bona.

*Non aurum, non argentum; quia utrumque metal-
lum est;*

Non agros, bona sunt haec fugitiva nimis.

Quin aeterna roga, quin dona superna require,

Sola ea dona manent, sola ea dona beant.

185 Ex verb. Tertulliani.

Et mihi defendo Jesum, & mihi vendico Jesum,

Hunc mihi nec mundus, nec Satan eripiet.

186 Ex verb. Hieronymi.

Ad bellum miles cum non sine prodeat armis :

Quo Christi miles non prece cinctus eat?

187 Ex verb. Isidori.

Affectum decet erga Deum tantum esse precantis;

Effectum ut speret nil dubitando, precum.

188 Ex verb. Ephraimi.

Quisquis amore Deum vero complectitur; ille

Tendit ad alta poli, nec petit ima soli.

189 Ex verb. Hieronymi.

In luctu fortem qui se gerit, haut minus, acri

Quam luctu forris, laude vehendus erit.

190 Ex verb. Isidori.

*Quando patet vitium, ex magno fit saepe pusillum :
Fit magnum ex minimo, quando latet vitium.*

191 Ex verb. ejusdem.

*Provocat ad veram Christi nos gratia vitam :
Sed revocat mundi nos male - sanus amor.*

192 Ex verb. ejusdem.

*Vulnera curantur citius detecta medenti ;
Sed qua tecta latent, ulcera pure scatent.
Sic detecta etiam recipit mens agra medelam,
Sed tacito virus vulnere pectus alit.*

193 Ex verb. Augustini.

*Iustitia legis nunquam salvabere : Namque
Lex facienda jubet, non faciendo juvat.*

194 Ex verb. ejusdem.

*Noisse facit potius lex quam peccata cavere :
Et magis hinc auget crimina quam minuit.*

195 Ex sentent. Chrysostomi.

*Ne stygii noceant unquam tibi demonis artes ;
Seu veniente die ; seu fugiente die :
Fac quoties lectum repetis, lectum ve relinquis,
Quando domo egrederis, regrederis ve domum ;*

Hab

*Hac tecum dicas : tibi dire renuncio damon :
Me totum, Jesu, doq, dicoq, tibi.*

196 Ex verb. Cypriani.

*Ut cancri scabies, sic serpit sermo malorum :
Et mores pravi transitione nocent.*

197 Ex verb. ejusdem.

*Sapè facultates pedica sunt, atq, catena e
Virtutis coeptum qua remorantur iter.*

198 Ex verb. ejusdem.

*Totus ut in pejus ruit, & modo deficit orbis :
Sic bona deficiunt, & mala proficiunt.*

199 Ex verb. ejusdem.

*Servus hero non est major ; Qui servus Iesu es ;
Sis humilis, Dominus ceu fuit ipse humilis.*

200 Ex verb. Basilii.

*Cum te tres terra maneant, non amplius iulna :
Jugera quid satagis jungere iugeribus ?*

201 Ex verb. Augustini.

*Qui sapis, hoc mundo sic providus utere, ne te
Illecebris capiat, decipiat ve suis.*

202 Ex sentent. Cypriani.

Tam cecis hominum mens est immersa tenebris,
 Ut bona, qua mala sunt, pravaq; recta, putet.

203 Ex verb. Ambrosii.

Si quis amare Deum, cupit; ille renunciet orbi:
 Quisquis amat mundum, nescit amare Deum.

204 Ex verb. Hieronymi.

Qui semot Christo dedit, is dedit omnia Christo:
 Sed sua qui dedit, is munera pauca dedit.

205 Ex verb. Gregorii.

Non labor est homini sua relinquere: Relinquere se-
 met,

Atq; sequi Christum, maximus hic labor est.

206 Ex verb. Basilii.

Ne tibi sit cura mundo placuisse maligno:
 Unica cura tibi sit, placuisse Deo.

207 Ex verb. Isidori.

Quid quereris, cum certa piis sit Patria caelum:
 In terris quod non sit tibi certa domus?

208 Ex verb. Augustini.

Invidia Satanas cecidit, sic invidus omnis,
 Cum Satana aetheris excidet imperiis.

Ex

209 Ex verb. Cypriani. Luc. 17.

*Presbyteris Christus falsis si prestat honorem:
Legitimis cur non justus habetur honos?*

210 Ex verb. Basilii.

*Arcet ut incursum hostiles murus ab urbe:
Arcet ita à nobis Angelus arma stygis.*

211 Ex verb. Augustini.

*Cur tua fecisti mea crimina, maxime Iesu?
Scilicet ut tua sic sit mea justitia.*

212 Ex verb. Gregor. Nazian. de Pa-
ralyt. Matth. 9.

*In lecto miser, hei! membris cubo, Christe, solutus:
Tu fer opem, stratum bajulem ut ipse meum.*

213 Ex verb. Cypriani.

*Tàm debent sperni, quàm mundus spernitur ipse,
Cum mundo que sunt interitura bona.*

214 Ex verb. Augustini.

*Cùm cedis, pater es, DEUS, & cùm blandus es,
idem es:*

Idq; ego ne peream deficiamve, facis.

215 Ex verb. Gregorii.

*Aruit in sese mundus, senuitq;: quid ergo
Cordibus in nostris floret is, atq; viget?*

216 Ex verb. Maxim. Episc.

*Nasceris hinc nudus, nudusq; renasceris; inde
Ad. caelum ut discas. carpere nudus iter.*

217 Ex verb. Gregorii.

*Cruce qua nos premit hic, compellit adire. Jehovam;
Nempe gravis medicum quarere plaga monet.*

218 Ex verb. Augustini.

*Prodigia ut credat quarens, credente quod orbe
Jam toto, non vult credere, prodigium est.*

219 Ex verb. Salviani.

*Nostra placent aliis, nobis aliena probantur;
Nempe homines sortis tadet ubiq; sua.*

220 Ex verb. Chrysostomi.

*Quod patimur, minus est, quam crimina nostra me-
rentur;*

Ergo patris virgam quis neget esse crucem?

221 Ex verb. Salviani.

Ipsa homini flammam Deus insinuavit amoris;

*Quo sua prosequitur pignora quisq; pater;
Illius exemplum ut nobis monstraret amoris,*

Quo sua nos homines pignora prosequitur.

EX

222 Ex verb. ejusdem.

*Quid mirum, si quis lususq; jocosq; theatri
Spectatum accedit purus, adulter abit?*

223 Ex verb. Augustini.

*Quid tibi blandiris? tibi met quid plaudere gestis?
Nonne places stulto, quando tibi ipse places.*

224 Ex verb. Salviani.

*Noxia murorum si facta ruina putanda est,
Noxia sit morum nonne ruina magis.*

225 Ex verb. Chrysostomi.

*Quando vel exiguum detergis pulverem ocellis;
Cur anima sordes negligis usq; tue.*

226 Ex verb. Salviani.

*Infelix meritò meretrix muliercula dicta est;
Cumq; timore Dei, cumq; pudore vacet.*

227 Ex verb. Augustini.

*Quid prodest, si plena domi stet millibus arca?
Si tibi sit veris pectus inane bonis?*

228 Ex verb. Isidori.

*Formides adversa minus, quam prospera: Namq;
Adversa erudiunt, prospera adjiciunt.*

229 Ex verb. Salviani.

*Nulla viros unquam magis actio dederet, ac si
Quid muliebri habeant, aut muliebri gerant.*

230 Ex verb. Isidori.

*Si grave cordolium fugis, & qua nocte dieq;
Exagitant mentem verbera: Vive bene.*

231 Ex verb. Gregorii.

*Nummus homo ipse DEI, sed nummus Caesaris au-
rum est;*

Huic dabis ergo aurum, te dabis ipse Deo.

232 Ex verb. Isidori.

*Si rex à rectè sortitus nomen agendo est:
Qui peccat, non hoc nomine dignus erit.*

233 Ex verb. Augustin. de latro-
ne, Luc. 23.

*Latronis monstrato mihi gemitusq;, fidemq;:
Et tibi latronis polliceor veniam.*

234 Ex verb. Bernhardi.

*Ut circumveniat Satanas nos, circuit orbem:
Ergo cave circum - ne veniaris homo.*

235 Ex verb. Chrysofomi.

*Sana nihil doctrina valet, si dissona vita est:
Consona doctrina vita sit ergo tua.*

Ex

236 Ex verb. ejusdem.

*Spectatum admissus lususq; jocosq; theatri,
Plaudite, quàm dictum est, non petis ante do-
mum.*

*Enthea cur templi penetralia, quando subisti,
Ante domum quàm sint sacra peracta, redis?*

237 Ex verb. Gregorii.

*Quod scriptura legentibus, hoc pictura Idiotis
Praestat; in hac legit is, qui legere arte nequit.*

238 Ex verb. Augustini.

*Si rem, qui propriam non dat, mittetur in ignem,
Quò mittendus eris, quando aliena rapis?*

239 Ex verb. Ambrosii.

*Non me peccatis sine gloriator esse: remissa
Sed peccata reo gloriator esse mihi.*

240 Ex verb. Augustini.

*Magna fit, immò Deo fit summa injuria summo,
Si desperet homo de bonitate Dei.*

241 Ex verb. ejusdem.

*Excusare nefas, est accusare: nec ergò
Te excusa, accuses ne magis ante Deum.*

242 Ex verb. Chrysostomi.

*Gratà mente Deo nihil usquam gratius exstat:
Hanc nisi pro meritis nil petit ipse suis.*

Ex

243 Ex verb. Lutheri.

Mundus hic Hospitium est, ubi Caupo rector A-
verni

Ædibus inscripsit: Perditor hic habitat.
Confluit huc simul & bonus & malus hospes; & il-
los

Accipit haud uno Caupo locatve modo.
Nam sibi quos novit similes, lautè excipit: at quos
Dissimiles, miseris vexat, agitq; modis.
Ergò qui bonus es, tolerare memento, quod agrè est.
Et Patriæ mentem spe propioris ale.

244 Ex sententia ejusdem.

Est orare labor, labor est & arare, sed audi:
Est orare labor major, arare minor.

245 Ex verb. Ambrosii.

Terra exercitium est hominis, cælumq; corona:
Sed nisi vincenti nulla corona datur.

246 Ex verb. Salviani.

Tàm leve cœu nihil est, invito quod grave non sit:
Sic nihil est alacri tàm grave, quin leve sit.

247 Ex verb. Bernhardi.

Corpus ut humanum nunquam satia veris aurâ:
Auro sic hominis cor satiare nequis.

Ex

248. Ex verb. Hilarii.

*Sic utinam vivant homines, ut crebra superbia
Excidat his nunquam mentio iudicii.*

249. Ex verb. Hieronymi.

*Cuncta ruunt: orbis terrarum corruiť ipse:
Cur vitia in nobis non quoq; scđa ruunt?*

250. Ex verb. Augustini.

*Crimina si propter sentit mens conscia flammis:
Exstingui has lachrymis non nisi posse putes.*

251. Ex verb. ejusdem.

*Doctoris si vult recte quis munere fungi;
Qua bona sunt, doceat, qua mala dedoceat.*

252. Ex verb. Anthonii & Bern-
hardi.

*Si desit codex tibi, cœlum suspice, terram
Respice, & hac poterunt codicis esse vice.
Quin quercus etiam, fruticesq; herbasq; virentes
Adspice; & hac poterunt codicis esse vice.
Qua te quotidie doceant, moneantq; legentem,
Quod bonus, omnipotens, sit sapiensq; Deus.*

253. Ex verb. Augustini.

*Temnito, quod nihil est, aliquid licet esse putetur:
Inveniesq;, quod est, nil licet esse putes.*

Ex

254 Ex verb. Gregorii.

Quid prodest age, si cunctorum laude veharis,
 Et reus indicio mentis agere tua?
 Et quid obesse queat, si vox tibi derogat omnis,
 Sit modo nullius conscia mens sceleris?

255 Ex verb. August. & Nazianz.

Ætatis florem Satana, seniq; Jehova
 Qui fecem sacrat, sit maledictus homo.

256 Ex verb. Ambrosii.

Quo lapsus miseri gravior fuit antè jacentis:
 Gravior hoc Domini cura levantis erit.

257 Ex verb. Hugonis.

Aula DEI, & templum Christi mens conscia ve-
 sti est:
 Caula sed est Satana conscia mens sceleris.

258 Ex verb. Bernhardi.

Præ cunctis miror tria: quod DEUS est Homo fa-
 ctus:
 Virgo quod est Mater: quod capis ista Fides.

259 Ex verb. Cypriani.

Nec cælum miror, nec cæli sydera miror;
 Nec miror, quæ sunt mira solo atq; salo?
 In cunis sed ego miror positum Omnipotentem,
 Atq; Deum miror virginis in gremio.

EX

260 Ex verb. Bernhardi.

*Religio peperit gazam: ceu vipera matri
Filia sed facta est causa cruenta necis.*

261 Ex verb. Pontii Diac. in vita
Cypriani.

*Machina totius cum sit domus unica mundi,
Et Deus hac praesens regnet ubiq; domo:
Ergone quò vel. cunq; prius migrare jubetur,
Exsilium patitur, cum sit ubiq; domi?*

262 Ex verb. Bernhardi.

*Quod datus à Patre sit Christus tibi, crede, redem-
tor:*

Nam si non credis, nec datus ille tibi est.

263 Ex verb. Basilii.

Si solem media quis nocte videret oriri:

Nonne jubar stupeat protenus insolitum?

Iustitia medio noctis de virgine solem

Quando legis natum, non magis inde stupes?

264 Ex verb. Gregorii.

Hic, quod delectat, momenti est perbrevis instar:

Illic aeternum, quod cruciabit, erit.

265 Ex verb. Hieronymi.

Fortiter insidiis Satanae illecebrisq; resiste:

Persuadere potest, precipitare nequit.

Ex

266 Ex verb. Chrysoſtomi.

*Is Satana ſtatuit metamq; modumq; ſurenti;
Qui ſines poſuit fluctibus Oceani.*

267 Ex verb. Iſidori.

*Devoto ſi non oratio pectore fiat:
Nil à mugitu differret illa boum.*

268 Ex verb. Cypriani.

*Nullus ut hac unquam ſperatur à arbore fructus,
Quà floris nituit nullius ante decor:
Sic niſi virtutum niteat quoq; flore iuventa:
Omnis & à ſenio fructus honoris abeſt.*

269 Ex verb. Origenis.

*Cùm peccata hominum ſtygii ſint vita Draconis,
Ut fugiat Satan, his abſtinuiſſe velis.*

270 Ex verb. Chryſoſtomi.

*Principium ſi ſit finisq; precatio menſa:
Fonte dabit largo largius omne bonum.*

271 Ex verb. Beati Laurentii
Martyris.

*Non habet obſcurum mea nox, quia lux mea, Chri-
ſte, es:
In media præfers qui mihi morte facem.*

Ex

272 Ex verb. Augustini.

*Sunt claves cæli pia vota : Precatio scandit,
Descenditq; Dei mox misipientis amor.*

273 Ex verb. Bernhardi.

*Inveniat taurum si taurus morte peremptum :
Mugitu fratris funera prosequitur.*

*Quid faciant homines, hominis si funera spectent ;
Quos trahit affectus, quos ratioq; docet ?*

274 Ex verb. ejusdem.

*Exaudit citò, promittit citò, dat citò Christus :
Nonne ergò est Dominus dulcis, itemq; bonus ?*

275 Ex verb. Augustini.

*Nostra divitiæ Deus est : Nam querere qua. vel
-Cunq; potes varia ; hic omnia solus habet.*

276 Ex verb. Bernhardi.

*Que sitis est tua, Christe, sitis nostrane salutis ?
Certè ea : Et hæc hodie te sitis urget adhuc.*

*Nostram, ò Christe, sitim sitis excitet illa ; salu-
tem*

Seridò ut incipiat quisq; sitire suam.

277 Ex verb. ejusdem.

*Quid quereris, Jesu bone ? quid fles, optime Jesu ?
Orq; quid, ah lachrymis imbuis uberibus ?*

Hoc

*Hoc queror, hoc fleo, quod, quae sufficit omnibus una
Mors mea; tam paucis proficit. Hoc lachrymor.*

278 Brevius.

*Quid Jesu bone, fles? fleo, quod mea passio cunctis
Sufficit: at paucis proficit. Hoc lachrymor.*

279 Ex verb. Gregorii.

*Cur quos pra reliquis Deus est complexus amore,
Pra reliquis solet & mole gravare crucis?
Ut pressi clamant, clamantes audiat ipse,
Auditi celebrent, glorificentq; Deum.*

280 Ex verb. Bernhardi.

*Fide Deo soli. Si namq; tibi ve, tuis ve
Fidere vis meritis, perfidia, hanc fidei est.*

281 Ex verbis Hieronymi.

*Peccati gradus est Primus, mala volvere mente;
Alter, qua volvis mente, probare mala.
Tertius est, implere opere hac; qua mente voluitas;
Quartus in his gradus est complacuisse tibi.*

282 Ex verb. Augustini.

*Spes mea tam certa est, quasi sit, quod spero ego. praesto;
Nunc credo: sed qua credo, videbo brevi.*

283 Ex verb. Joh. Brentii.

*Suggestum nunquam sine summo adscendo tremore
Quod nostrum Angelicos cum Deo adesse choros.*

Ex

284 Ex verb. Basili.

Si tua vota minus sint exaudita Jehova:
 Causa quod hoc faciat, de tribus una putes.
 Namq; vel ista, forent tibi qua nocitura, petisti:
 Facta vel haut vera sunt tua vota fide.
 Impatiensve mora renuisti instare precando:
 Hinc audita minus sunt tua vota Deo.

285 Ex verb. Dionysii.

Vox sit in hac ea, CHRISTE, mihi precor ultima
 luce,
 In cruce qua tibi vox ultima, Christe, fuit.

286 Ex verb. Bernardi.

Si non in caelum prior ascendisset Iesus:
 Nemo hominum posset temp!a subire poli.

287 Ex verb. Augustini.

In caelum affectu te, Christe, ego sector euntem:
 Mox, precor, effectu te quoq; ad astra sequar.

288 Ex verb. Hugonis.

Et pure mala sunt, & sunt mea, qua mala patro;
 Sed bona, nec pure sunt bona, nec mea sunt.

289 Ex verb. Isidori.

Illicitos vivens qui non exstinxit ignes:
 Inferni is moriens mergitur igne lacus.

290 Ex verb. ejusdem.

*Qua desiderii mundi nimis estuat hujus ;
Ad contemplandum est mens minus apta Deum.*

291 Ex Gersonis Testamento.

*Cum miser in mundum de matris nascerer alvo :
Heu, mea mille modis sordida vestis erat.
Quam, Pater alme, tui lavisti sanguine nati ;
Pulchrior ut fieret candidiorq; nive.
Hac in veste veum, me, me, o precor, adspice, Judex,
Ante tuum positus quando tribunal ero.*

292 Ex verb. Basilii.

*Faecundo quicumq; solo sua semina credit :
Credita multiplici faenore grana legit.
Qui panem serit in dextram esurientis, ita amplo
Faenore qua sevit caelo aliquando metet.*

293 Ex verb. ejusdem.

*Unum est, quod fugias, peccati nempe venenum :
Unum est, quò fugias; Gratia nempe Dei.*

294 Ex verb. Gregorii.

*Si bona, qua caelo mihi sunt promissa, recordor ;
In terris qua sunt, vilia cuncta puto.*

295 Ex verb. Augustini.

*Febricitantis homo miser obtinet iste palatum :
Cui verbi sapiunt entia mella nihil.*

Es

296 Ex verb. ejusdem.

In cœnum cadere, est nostrum; non surgere nostrum:
Gratuita Christus ni levet ipse manu.

297 Ex verb. ejusdem.

Ranarum ut strepitus nil contra tonitrua possunt:
Sic hominum contra nil facit ira Deum.

298 Ex verb. Chrysofomi.

Iracundus homo es? sis in tua crimina talis:

Teg. ipsum objurga, jurgia quisquis amas.

Sis judex tibi; sis tibi vindex acrior ipsi;

Cade animum flagris fortiter ipse tuum.

Ira hæc virtutis Cos est: hæc nobile lucrum est:

Hanc datur ob causam cœlitus ira tibi.

299 Ex verb. ejusdem.

Tradita terreni tibi si sit Epistola regis

Attexto hanc studio terq. quaterq. legis:

Nempe voluntati ut possis parere jubentis;

Nec gravis irati te premat ira Ducis.

Ergo sacer cœm sit codex & Epistola regum

Regis, habens summi jussa verenda Dei:

Cur quoq. non studio legis hanc relegisq. fide?

Discere ut, is fieri qua velit, inde queas?

300 Ex verb. Bernhardi.

Accipitris metuens sibi Turtur ab ungue papæis:

In patulum scopuli se latius illatebrat;

G

Tutior

Tutior unde minas infesti despicit hostis ;
 Vano ea qui circum claustra furore fremis.
 Sic ego, me stygii quoties furor impetit hostis ;
 Morsq; truces spirat sanguinolenta minas :
 Nec datur effugio locus ; Ad tua vulnera, Jesu,
 Remigio fidei subvolo salvifica :
 Atq; tui totum lateris me condo latebris ;
 Qua rigidi fecit militis hasta viam.
 Tutus ab insidiis adyto lateo hocce receptus,
 Styx truculenta, tuis ; Mors furibunda tuis.

301

Ex verb. Cypriani.

Non poterat placare Deo nos hostia quevis :
 Hostia n̄ fieret filius ipse Dei :
 Induit hic nostram, mirando fœdere carnem,
 Atq; ita pro nobis victima casus obit,
 Hac, Hecatombarum quod millia multa nequibant,
 Placavit miseros victima sola Deo.

302

Ex verb. Bernhardi.

O pietas Christi Pastoris, o ardor amoris,
 O bonitas, nullo non celebranda die :
 Nempe suam in potum dat nobis ipse cruorem,
 Inq; cibum carnem, datq; animam in pretium.

303

Ex verb. Chryostomi.

Abluit unda manus ; animamq; precatio mundat,
 Non minus ergo animã quã tua membra lava.

Quin,

Quin, quoties cubitu surgis, prius abluis votis
Interiora; manus post faciemq; lava.

304 Ex verb. Augustini.

Te sequor Affe tu scandentem ad sydera, Jesu;
Da quoq; Profectu te, pie Christe, sequar.
Hinc sequar Effectu te, donec ad aethera tandem:
Consequar & meritis premia parta tuis.

305 Ex verb. Ambrosii, ex 2.

Reg. 4.

Mergitur in fluvium ligno delapsa securis:
Quam mox ad vatis vota renâsse stupent.
Sic nos ad stygias quasi ferrum mergimur undas:
Quot - sumus à primo - cunq; parente sati.
Sed Christi merito; mersi Baptismatis unda,
Surgimus è stygio sydera ad alta lacu.

306 Ex verb. ejusdem.

Quando sacris Satanas scripturis utitur, illud
Non facit, ut doceat, sed facit, ut noccat.

307 Ex verb. Fulgentii.

Vilis es in pannis, Jesu, at pretiosus in astris:
Parvus es in stabulo, magnus in arce poli.

308 Ex verb. Bernhardi.

Non nasci tantum, nosci quoq; Christe, volebas:
Ut fieres notus queis homo natus eras.

Te gregis ergò duces terris docet Angelus ortum;
 Stellaq; te natum nunciat esse Magis.
 Stella eadem nobis te nunciat Angelus idem,
 A Patre te miseris prædicat esse datum.
 Verbum nempe tuum Stella est mihi, & Angelus
 iste:

Da, sequar hos ad te, Christe benigne, duces.

309 Ex sentent. Venerab. Bedæ.

Quæ Patris ad dextram pro me, sine fine, Sacerdos
 Vota facis, careant pondere, Christe, suo?
 Cum fiant ea tot linguis, quot vulnera quondam
 Pro me sensisti corpore, Christe, tuo.

310 Ex verb. Augustini.

Rex meus, atq; Deus meus; ô tibi seruiat unxi,
 Hactenus à teneris utile quod didici.
 Unius omne tui, Deus ô, famuletur honori,
 Quod lego, quod scribo, quod loquor, & numero

311 Ex verb. ejusdem ad CHRIS-
 TUM.

Qui petis astra poli, da, te modo, Christe, fideli
 Corde sequar, donec Corpore ad astra sequar.

312 Ex verb. Bernhardi.

Quisquis amat primas, hac partes tende per imas,
 Sin aliter vadis primus ad ima cadis.

Opes

313 Opes mundi. ex Nazianz.

*Ceu nihili telam, quam texit aranea, ducis :
 Hujus opes mundi sic nihil esse puta.
 Gratia pro cunctis opibus tibi numinis esto ;
 Hac manat aeternum, cetera cuncta ruunt.*

314 Ex verb. ejusdem.

*Sermo malus tibi par scelerataq; vita putentur :
 Sermoni comes est pessima vita malo.*

315 Ex verb. Basilii.

*Marmore de Pario mihi si monumenta negentur :
 Christi amor & pietas sint monumenta mihi.*

316 Ex verb. Nazianzeni.

*Vita piis velut haec Mors est, & funeris instar.
 Sic vice Mors versa his vita perennis erit.*

317 Ex verb. Augustini.

*Ultima cum toties hominem praevenit hora :
 Ne te praeveniat, praevenienda tibi est.*

318 Ad seipsum : Imitatione Nazianzeni.

*Nocte dieq; tua, mea mens, memor esto salutis,
 Atq; Dei ante oculos jussa frequenter habe.*

*Quod si surreptum tibi te venit hostis, & urget
Te miserum pedibus implicuisse suis:*

*Ad Christum celeri properare memento volatu:
In mala ne stygiis precipitare dolis.*

319 Ex verb. Augustini. Ad
DEUM.

*O amor, ô ardor, qui non exstingveris unquam;
O calor, ô ignis qui sine fine cales:*

*Pectoris interiora mei succende, peremni
Soliis ut flagrem totus amore tui.*

*Et te prater amem nihil: Is si quidem errat amando,
Qui tecum aut prater te quid amare parat.*

320 Ex verb. Nazianzeni.

*Qui pietatis iter sequeris, ne figito gressus:
Sed vigil in cœpta pergere perge via.*

*Si quis enim stetit hic, neq; pergere tentat, ad ima
Labitur; & retrò, quando stat, ire parat.*

321 Ex verb. Chrysofomi.

*Quis proprio Pastor potare cruore bibentes,
Atq; sua voluit pascere carne gregem?*

*Maxima sit tibi laus, Pastor fidissime Jesu;
Sanguine nos potas, carneq; pascis oves.*

322 Ex Nazianzeno.

*Quando malos florere vides, ne ringitor unquam:
Sed summa hos pœnas crede manere die.*

Cumq;

*Cumq; bonos sudare vides sub mole malorum,
Gaudia eos summâ crede manere die.*

323 Ex verb. Hieronymi.

*Ægrotis frustra medicus bona pharmaca miscet,
Admoveat medicam nî Deus ipse manum.*

324 Ex verb. Chrysostomi.

*Si peccatorum gauderet morte Redemptor;
Victima pro miseris non foret ipse reis.*

325 Ex verb. Augustini.

*Christianus falso de nomine dicere Christi,
Si vita Christum non imitère tua.*

326 Ex verb. Cypriani.

*Quo gravior fuerit, quo major pugna piorum;
Hoc quoq; victorum gloria major erit.*

327 Ex verb. Bernhardi.

*Quis desperet homo, sperante latrone salutem?
Quis non & veniam, quam tulit ille, ferat?
Si cor contritum modo cum latrone fidomâ,
Offerat. Hac sola est victima grata Deo.*

328 Ex verb. Cypriani.

*Si Phœnix Orientis avis sine conjugè nasci
Creditur? & thalami fœdera nescit apis?*

43



*Absq; viro castâ Christum de virgine nasci,
Disponente Deo, quis potuisse neget?*

329 Ex verb. Bernhardi.

*Ut sit homo Christi nunquam Crucis immemor;
hujus*

Exemplar membris exprimit ipse suis.

*Extendit siquidem quoties sua brachia, Crux est;
Atq; figura sui qui Crucifixus Heri.*

330 Ex verb. Romani Martyris.

*Eripiat vitam, famamq; domumq; Tyrannus;
Corde meo Christum non tamen eripiet.*

331 Ex sentent. Prudentii.

*Si quid agis, reputa, quod desuper arbiter adstet,
Qui tua dicta notat, qui tua facta videt.*

*Testis hic est, Judexq; nihil qui linquet inultum,
Quem fictis poterit fallere nemo dolis.*

*Proferet hic tenebris in claram condita lucem:
Sint hic aperta tui cordis operata dabit.*

332 Ex verb. Bernhardi.

*Decursus cessat bonitatis ab athere: nullus
In terris laudum quando recursus adest.*

333 Ex verb. Nazianzeni.

*Sola sat est mihi, Christe, tui possessio verbi:
Quam cunctis mundi praefero divitiis.*

Ex

334 Ex verb. Augustin. in Psal. 56.

Si quis vota Deo qua sint reddenda requiris?

In te vota, Deus que sibi poscit, habes.

Incensum laudis depromito mentis acerrâ,

Eq̄ penu casti pectoris adde Fidem.

Vota Deo sunt hac præ cunctis dulcia votis:

Atq̄ hecatombarum grata cruore magis.

335 Ex verb. Eusebii.

Non satis est labiis peccata remittere fratri:

Cum labiis si non pectora conveniant.

336 Ex verb. Chrysofomi.

In mare si cecidit scintilla minuta profundum,

Indene quis flammam surgere posse putet?

Quod collata mari scintilla est; hoc Bonitati

Sunt collata etiam crimina nostra Dei.

Quin minus est: siquidem recipit maris unda pro-
fundi

Mensuram: bonitas quâ caret alma Dei.

337 Ex verb. ejusdem.

Fertur ut excusso ratis alta per aquora clavo:

Quo maris irati fertq̄, refertq̄ furor.

Sic homo, cælestis si gratia perdita; fertur,

Quo Satan, et carnis cæca libido trahunt.

338 Ex verb. Augustini.

Qui vendit plumbum mercator, et accipit aurum:

Rem facit, et laudem quolibet ore meret.

*Qui nummos inopi dat, & aetheris accipit arces,
Nonne magis summa laude vehendus homo est?*

339 Ex verb. Hieronymi.

*Obtusum veluti ferrum Cos reddit acutum:
Exacuit tardam Crux ita dura fidem.*

340 Ex verb. Origenis.

*Ante tuos Christi si mors versetur ocellos:
Num tibi pro Christo mors gravis esse queat?*

341 Ex verb. Hieronymi.

*Si Pater aut Mater jaceant in limine, quite
Ad Christum nolint pergere; perge tamen:
Et per calcatos in limine perge parentes;
Nam patrio Christi pravalet imperium.*

342 Ex verb. Augustini.

*Dum vivis, respisce Hodie; tibi namq; Patronus
Est modo, post Judex qui tibi durus erit.*

343 Ex verb. ejusdem in Psal. 101.

*Si nostrum Christus mortem est dignatus habere:
Cur vitam nobis non daret ipse suam?*

344 Ex verb. Lutheri.

*Tantum est peccatum, quantus qui leditur illo est:
Quo nihil hac mundi machina majus habet.*

Ex

345 Ex verb. Anselmi.

Nomen ad auditum Satanae si protenus horres :
 Cur non ad Satanae te subit horror opus ?
 Nempe opus est Satanae scelus omne, nefasque : quod
 Te fugere ac Satanam nocte dieq; decet.

346 Ex verb. Lutheri.

Est Deus omnipotens : vincunt tamen omnipoten-
 tem,
 Qua firma sunt spes, fideq; preces.

347 Ex verb. Augustini.

Semper es immundus, si te dulcedine mundus
 Coeperit immundus : si sapias ergo, cave.

348 Ex verb. Prosperi.

Sperne voluptates : quia vivo in corpore sumus,
 Lataq; tartarea sunt via ad antra stygis.

349 Ex verb. Radulphi Ardentis.

Auxilium quoties differt, dormire videtur
 Christus, & a versa respuere aure preces.
 Cum fert auxilium, vigilat : cum subvenit, audit :
 Cum juvat, est praesto : cum mala pellit, amat :
 Carnis iudicio ; Cum nunquam dormiat ipse ;
 Sed vigil & praesens adsit ubiq; suis.
 Hi vigilent firmâ modo spes, fideq; nec unquam
 Sint casto segnes fundere corde preces.

350 Ex verb. Augustini.

*In cruce cur pandis tua brachia, Christe Redemptor?
Nempe, quod amplecti me cupis hisce, doces.
Hac largire mihi precor, inter brachia, Christe,
Vivere, & hac inter brachia, Christe, mori.*

351 Ex verb. ejusdem.

*Displiceat, quod es usq; tibi, si discupis esse
Quod nondum es, nihil es, quando tibi ipse places.*

352 Ex verb. Cypriani.

*Vestibus exsueris terrenis, Christe, superna
Nos ut justitia vestibus indueres.*

353 Ex verb. Bernhardi.

*Omnis erit dulcis crux, omnis passio dulcis:
Si Christi ante oculos crux sit amara tuos.*

354 Ex verb. ejusdem.

*Non est momentum, non punctum temporis ullum,
Non detur Domini quo bonitate frui.*

355 Ex verb. Ambrosii.

*Quos queres medicos, homo, si jejunia vitas:
An medicus prestans his magis esse queat?*

Ex

356 Ex verb. Origenis.

*Ut sine luce homini non delectabile quicquam est ;
Sic gratum est fidei nil sine luce Deo.*

357 Ex verb. Bernhardi.

*Quando deesse tibi reputas nihil , omnia desunt :
Si tibi sufficias, quomodo proficies ?*

358 Ex verb. Augustini.

*Te Deus extollit . si dejicis ipse : vicissim
Extollis si te, dejicit ipse Deus.*

359 Ex verb Bernhardi.

*Cuneta tenebrosa superat tormenta gehenna,
Non faciem summi posse videre Dei.*

360 Ex verb. Chrysostomi.

*Dic, age, manè queas quâ fronte hunc cernere solem,
Nî summo grates egeris ante Deo ?
Hoc oculis hominum qui lumen amabile mittit ;
Post tenebrasq; diem rursus adesse jubet ?
Qua facie mensâ , dapibusq; fruere ; rogâris
Nî prius hunc larga qui dedit ista manu ?
Quâ spe nocturno trades te tempore somno,
Si non munierint te prius arma precum ?*

361 Ex verb. Nili Episcopi.

*Qui templum veri desiderat esse Jehova,
Offerat incensum quotidie ille precum.*

362 Ex verb. Venerab. Bedæ.

*Non Deus hunc audit, qui se non ipsemet audit:
Cum facit ad summum vota precesq; Deum.*

363 Ex verb. Thom. de Kempis.

*Si tibi non fuerit firmum patientia scutum:
Non expers poteris vulneris esse diis.*

364 Ex verb. Bernhardi.

*Quid prodest veteres lachrymis abstergere sordes,
Si non & caveas te maculare novis?*

365 Ex verb. Augustini.

*Nil sum, preveniat nisi me tua gratia, Jesu:
Nil sum, nã simul hæc sit Comes usq; mihi.
Nil sum, me hæc eadem si non & ubiq; lequatur;
Pendet ab hac una sic mea, Christe, salus.*

366 Ex verb. Chrysofomi.

*Suggestere ut pecces, quamvis rex possit Averni:
Cogere te ut pecces, non tamen ille potest.*

367 Ex verb. Lutheri.

*Extra me non est adeo mihi causa timendi:
Intra me summi est causa timenda mali.*

Ex

368 Ex verb. Augustini.

Cur Verbum Domini bis acutus dicitur Ensis?

Federe id è Veteri nempe Novoq³ ferit.

369 Ex verb. ejusdem.

Confertur nulli, nisi vicerit antè, Corona:

Et nisi certarit, vincere nemo potest.

Nec certare potest, si non tentetur ab hoste:

Contra hostes igitur quid capere arma fugis?

370 Ex verb. Bernhardi.

Prægustat medicus, quæ E Pharmaca miscuit agro:

Ut bibat hic alacer, quæ bibit ille prior.

Sic Crucis & Mortis gustavit pocula Christus;

Ferre homo ne timeat, quod prior ipse tulit.

371 Ex verb. Thom. de Kempis.

Quantò quis didicit melioraq³, pluraq³, tantò

Major eum, vivat si malè, pœna manet.

Non igitur tibi sit modò plurima discere cura:

Sed tibi sit sanctè vivere cura magis.

72 Ex verb. ejusdem.

se tibi vilis nisi sis: nisi mundus amarus

Sit tibi: non verè Numen amare potes.

73 Ex verb. Gersonis.

it amor, quod amat, sibi: sis terrenus amando

Terrena, efficeris Divus amando Deum.

Ex

374

Ex verb. Bernardi.

*Stulte, quid argentum, quid lamina nobilis auri est,
Nobilius multi quo nihil esse putant?
Terra rubens aurum est, argentum candida terra,
Non valor, ast error quæ pretiosa putat.*

375

Ex verb. Ambrosii.

*Deformis matri soboles quoq; pulchra putatur,
Et sibi de turpi Simia prole placet.
Auctori sua sic, quamvis insulsa, probantur
Scripta, licet sanus nemo ea scripta probet.*

376

Ex verb. Chrystomi.

*Sunt mendicorum laceris magè vilia pannis,
Omnia, quæ mundo sunt pretiosa, bona.
Nempe bonis collata, suo quæ parta cruore
Ætherea servat Christus in arce piis.*

377

Ex verb. Bernardi.

*Vult circumcidi, vult & baptisate tingi,
Quo faciat Sacro Christus utriq; satis.
Anguli ut esse Caput facto se comprobet isto:
Quo nixus paries stat vetus atq; novus.*

378

Ex verbis ejusdem: de No-
mine Jesu.

*Nomina si Christi simul omnia nomine in uno,
Complecti mirâ quis brevitate velit:*

Nomen

*Nomen is Angelico delatum cœlitus ore,
Proferat, hoc uno cetera cuncta latent.*

379 Ex verb. Chrysostomi.

*Crimina non posset baptismatis unda lavare :
Corpore nî Christi sanctificata foret.*

380 Ex verb. Augustini.

*Si quis habere manus plenas exoptat ; inanes
Respiciat largè pauperis ipse manus.*

381 Ex verb. Hieronymi.

*Quisq; præesse aliis, pauci prodesse laborant :
Quin prodesse stude, quando præesse cupis.*

382 Ex verb. Lactantii.

*Nosse viam nihil est ; nisi quis, quàm novit, eundo
Continuet, tandem perficiatq; viam.
Sic nihil est novisse viam, quæ ducit ad astra :
Hanc nisi continues, perficiasq; viam.*

383 Ex verb. Tertulliani.

*Lucrum est, si facias pietatis nomine sumtum :
Sed damnum est hic, si parcior esse velis.*

384 Ex verb. Gregorii.

*Mutuum id est tantum, non donum, das quod egenti ;
Multiplici fructu, quod datur, omne redit.*

Ex

385 Ex verb. Chrysofomi.

*Porcorum est, dapibus de mensa surgere sumtis :
Proq; cibo grates non agere ante Deo.*

386 Ex verb. Bernhardi.

*Si quid agis, dic ipse tibi : sicne esset agendum,
Suprema hac vitæ si foret hora tua ?*

387 Ex verb. Theodoretii.

*Unicuiq; suum miscet Podalyrius agro
Pharmakon, ut morbi cognita causa jubet.
Omnibus una sed est medicina precatio morbis ;
Hanc adhibe, cunctis prevalet illa malis.*

388 Ex verb. Bernhardi.

*Si scribas ; sapit haut ; si non ibi legero Jesum.
Si cantes ; Asini est vox, nisi Jesus adest.
Displicet eloquium ; nisi Jesus in ore loquentum est :
Differere est ; Jesus sit nisi meta ; nihil.
Jesus in ore mel est, & in aure melodia Jesus :
Jubilus in corde est Jesus ubiq; pio.*

389 Ex sentent. Nili Episc.

*Dormit humi melius recti mens conscia ; lecto
Quàm cubat aurato conscia mens sceleris.*

390 Ex verb. Tertulliani.

*Per Christum simul, & de Christo scripta loquuntur
Omnia ; fœdus habet quæ vetus atq; novum.*

Ex

391 Ex verb. Isidori.

*Si cor sit mutum, strepitus nihil est labiorum :
Cor loquitur, licet os nil sonet, ante Deum.*

392 Ex verb. Lutheri.

*Omnia de Christo Ratio qua somniat, extra
Verbum, sunt tenebra nil nisi Cimmerica.*

393 Ex verb. Bernhardi.

*Cœlitus attulerit quid Christus Natus in orbem,
Ipsius in cruce nos Passio, Morsq; docent.
Tunc siquidem lacerus, per quinque, est vulnera scissus,
Quem tulerat plenum cœlitus ipse bonis.
Unde orbis precium profusa pecunia fluxit;
Unde & adhuc nobis profluit omne bonum.*

394 Ex verb. Bonaventuræ.

*Me, sine, Christe, tuis flagris, peccata flagellant :
Vulneribus graviter vulneror absq; tuis.
Absq; tua cruce me cruciant mea crimina: Morte
Absq; tua morior: funere vivo tuo.*

395 Ex verb. Lutheri.

*Plura fidele capit Cor quàm Cœlumq; Solumq; :
Ergò quid hoc majus corde; nisi ipse Deus?*

Ex

396

Ex verb. Nazianzeni:
Threnus.

*Si gravior premeret contagio corporis artus ;
 Ad medici fugerem dexterioris opem.
 Res esset si curta domi mihi ; plena roganti
 Conferret largam divitis arca stipem.
 Si gemeret mea Cymba gravi jaëta procellâ ;
 Ad portum in tuto littore vela darem.
 Si mihi quis litem faceret, subsellia adirem
 Judicis, ut laeso ferret is auxilium.
 Divina Satanas destructor imaginis, at me
 Cùm satagit tricus impedisse suis :
 Non est auxilii mihi spes te præter, Iësu ;
 Ad te nî fugiam non Satanam effugiam.*

397

Ex verb. Augustini.

*Dicere quis citius, quid non sit, posthuma vita :
 Dicere quàm quid sit posthuma vita potest.
 Non ibi Mors, luctus nullus, non ægra senectus :
 Non morbus, macies nulla, nec atra fames :
 Non æstus ; frigus nullum, corruptio nulla,
 Non lachryma, aut gemitus, non dolor ullus erit.
 Non labor, aut duris urgens in rebus egestas :
 Nulla ibi pestis erit ; nullus ibi hostis erit.*

Preca-

398 *Precatio matutina ex Gregor.
Nazianzeno.*

*Manè novo me, Christe, novo tibi dedico voto:
Meq; tuo totum mancipo servitio.
Sic ut opus neq; noctis agam, neq; mente volutem,
Devoto sed sim vietima corde tibi.
Semper & illicitis franos affectibus addam;
In praeceptis ne qua me vagus error agat.
Christe, mei compos reddar, precor, effice voti:
Te sine cor siquidem linguaq; vana rovent.*

399 *Lamentatio vespertina ad imi-
tationem ejusdem Na-
zianzeni.*

*Hei tibi mentitus sum, Christe, fidemq; sefelli;
Promissis dives quam tibi manè dedi.
Verba dedi miser hei! promittere quando volebam,
Hac soli obstrictum me fore luce tibi.
Transversum siquidem rapuit me sapius error
Devius à jussis, optime Christe, tuis.
Ut luce in media, media ceu noctis in umbra,
Offenso visus sim titubare pede.
Da veniam fasso, crimenq; remitte dolenti:
Atq; tua porrò me bonitate rege.
A jussis ne planta tuis mea deviet usquam,
Sed recto ad caelum tramite carpat iter.*

Ora-


400 Oratio postridiana, ex verb. ejusdem Nazianzeni.

*Lux hesternam mihi perit, quia laudibus illa
Non fuit, ut decuit, Christe, dicata tuis.
Obrepfit siquidem, qua me mihi sustulit, ira:
Atque aliud quod me non tulit esse meum.
Immò quod esse tuum me non tulit: hei mihi, quan-
tum*

*Actibus humanis debilitatis inest?
Hac precor, ô pie Christe, die, tibi serviat uni
Mens mea: ne pereat lux hodierna mihi.*

Finis Libri secundi.





EPIGRAMMATUM

PIORUM

LIBER III.

Miscellaneorum.

Viro spectabili, Eruditione, Pru-
dentia, atque Humanitate Or-
natissimo,

Dn. CASPARO MATTHIÆ,
*Reipublicæ VVylstriensis Sena-
tori dignissimo, Socero meo
dilecto.*

S. *Si, quod veteri, & sermone
vulgi trita jactatur parœ-
mia, omne promissum in debitum
cadit, Socer dilecte, jam dudum
in ære tuo sum. Hosce enim Epi-
gram-*

grammatum libellos dudum antehac tibi me pollicitum esse, in viridi adhuc habeo memoria. Debitum igitur hoc TRECENTIS hisce Epigrammatibus Miscellaneis tandem exsolvendum esse arbitratus sum; Ne mala nomina imitarer, quæ licet sæpius appellentur, serò tamen, aut rarò, vel etiam nunquam solvunt. Tuum erit solutionem hanc æquo animo acceptare. Quod futurum te spero, si adfectum potius solventis, quàm effectum estimare volueris. Majus enim munus aliquod, (quomodo enim inficias ire hoc possim) animus tuus
in me,

in me, meosq; benevolus, & beneficia quam plurima, merentur. Sed aliud in presentiarum in censu meo librario, quod de promam, non est. Quod si Deus Opt. Max. pro sua benignitate porrò gratiæ suæ radiis clementer mihi adfulserit, ut aliquando scripto magis luculento gratum meum animū tibi declarem, operam dabo. Vale, mi dilecte Socer, cum Socru mea, & omnibus tuis, mihi charissimis, quàm felicissimè. Dabam Crempis. Pridie Cal. April. Calamo festino. Anno Christi, qui symbolo hoc continetur:

IesVs DVctor plorVM.

H. T. Studiosissimus

Gvilielmus Alardus P. L.

H

E P I



EPIGRAM-
MATUM PIO-
RUM

LIBER III.

Miscellaneorum.

1 In imaginem Puelli Jesu. Dia-
logismus.

Quis puer? Immanuel Quo natus Patre? Jehovah.
Qua mater? Virgo est. Quod genus? Isacidum.
Cur natus? nostri causa. Quid donat? Olympum.
Queis dat? Conuersis. Quo mediante? Fide.

2 In eandem imaginem.

Quis puer hic nudus? Jesus. Cur nudus? egenus.
Cur eget? ut ditet. Ditet is? immò pios.
Sed quibus hosce bonis ditat? vita atq; salute.
Qui dare tanta potest? est sine fine Deus.
Cur pede serpentem calcet? premit aspera Ditis
Colla. Quid hunc serpens impetit ore minax?

Mem-

Membr. pios. Pueri petit hujus perdere. Pomum
 Cur puer uscentat? denotat imperium.
 Quod tenet in manibus? Caeliq; Soliq; Monarcha est.
 Cur crux in pomo est? crux toleranda pius.
 Cur digitos levat? ut juret. Quid jurat? uia offert
 Peccati veniam justitiamq; reis.
 Sed quibus? his, scelerum quos poenitet. At quid ini-

quis,
 Quos malefactorum non pudet? interitum.
 O mellite puer, Jesu dulcissime; Jesus
 Sis mihi, si Jesus sis mihi, saluus ero.

3 De nomine Servatoris nostri Je- su Christi.

Quis puer hic? Christus. Quid Christus? Coelitus un-

ctus.
 Quoniam oleo? unguento Flaminis aetherei.
 Cur unctus? Quia Rex, quia Vates atq; Sacerdos.
 Iste puer Rex est? Rex utiq; omnipotens.
 Et Vates? Summus Vatum est, demq; Sacerdos?
 Immo Sacerdotum gloria prima cluet.
 Sed quibus hic datus est Rex, Vates atq; Sacerdos?
 Cunctis: praecipue his, quos patet esse pios.
 Christe, mihi Rex sis, mihi Vates atq; Sacerdos;
 Et fidus tibi sim subditus usq; preter.

4 Natalis Servatoris nostri Jesu Christi.

Eja, age, sepositis, mens, expergiscere curis,
 Atq; redemptori plaudito grata tuo.

Sis hilaris, sis lata, novos age, concipe motus,
 Atq; novum lato pectore pange melos.
 Nam redit illa dies, qua non felicior unquam
 Terrigenis fulsit cœlitibusq; dies.
 Has siquidem Christus moribundi corporis artus
 Sumsit, & è castâ est virgine natus Homo.
 Hinc plaudit tellus, hinc plaudunt sidera, plaudunt
 Æquora, cœlicolæ, terrigenæq; canunt.
 Christus enim lapsam nascendo restituit rem:
 Solus & amissas sic reparavit opes.
 Salve, Christe Dei soboles; Laus, gloria, virtus,
 Atq; decus sit per secula cuncta tibi.

5 **CHRISTUS: Per omnes casus.**

N Rebus in adversis meâ spes est unica Christus,
 G Namq; mihi Christi est parva cruore salus.
 D Dum vivam, toto confidam pectore Christo,
 A Et Christum firmâ speq; fideq; colam.
 V Tu me, seu morior, seu vivo tuebere, Christe,
 A Nilq; quod à Christo separet, esse potest.

6 **CRUX CHRISTI: Per omnes casus.**

N Crux tua, Christe, mihi verissima gaudia præstat
 G Inq; Crucis merito lætor ubiq; tua.
 D Nam tua fixa Cruci propter me membra fuerunt,
 A Inq; Crucem pro me te tuus egit amor.
 V Crux ô amica, meus quâ factus victima Jesus,
 Me fontem immerita morte redemit ave.

Tuq;

Tuq; fave, roseo qui, Christe, cruore dedisti
A In Cruce pro miseris lytra soluta reis.

7 Ad Christum crucifixum.

Te crucis intueor quoties in stipite, Jesu,
 Vulneraq; & duram mente revolvo necem :
 Protensus ipse mei lethalia vulnera cordis,
 Et gemitu & lachrymis prosequar uberibus.
 Nam video, quod sint mea vulnera causa tuorum :
 Quodq; necis mea sint crimina causa tua.
 Tu sine labe bidens, expers tu criminis Agnus,
 Pro me fonte necem victima factus obis.
 O utinam lachryma quidquam, o suspiria possent :
 Ad mea & hæc essent tot mala flenda satis.
 In gemitus miser & lachrymas ego totus a' irem,
 Omnis & in querulas liquerer udus aquas.
 Sed neq; sunt lachryma satis, his licet imber ocellis
 Tot plueret guttis, quot fluit Albis aquis.
 Sed neq; sunt gemitus satis hi, licet Euris & Auster
 Spiramenta ariment pectoris hæcce mei.
 Sanguinis una tuo de vulnere guttula, Jesu,
 Est satis : hæc cordi est certa medela meo.
 Pectoris una tui pro me suspiria, Jesu,
 Sunt satis : una meis hæc panacea malis.

8 Jesus Christus.

Omnia de Christo vatum prædicta priorum,
 Omnia Apostolici scripta diserta chori :
 Uno si quis amet semel & simul edere verbo :
 Efferat is Jesu nomen ; & omne dedit.

9 Spes mea Christus.

Spes mea Christus erat, matris cum nascerer alvo;
 Quando adolescebam, Spes mea Christus erat;
 Postquam adolevi etiam, mea Spes est unica Christi:

Tandem cum moriar, Spes mea Christus erit.

10 Nativitas Christi admirabilis.

Nascitur aeternus de virgine matre Jehova,
 Plasma nec esse suum conditor ipse fugit.

Machina cui caeli solium, cui terra scabellum est;

Virgineo is vagit parvulus in gremio.

Qui largè pascit volucresq;, hominesq;, pecusq;.

Maternis infans pascitur uberibus.

Qui reges Ostro vestit, diademate cingit,

Hunc in praesepi fascia parva tegit.

Qui nidos a vibis praebet: vulpiq; cavernas;

Parvulus ipse caput, vix, sibi ponat, habet.

Commoda terrigenis habitacula, regibus arces

Qui dat, is in stabulo vix habet ipse locum.

Qui lectos homini, qui pulvinaria donat

Mollia, stramineo ponitur ipse toro.

Omnia nos propter; pandat quo caelica nobis

Atria, & adjungat caetibus angelicis.

11 Ad Jesum Christum pro me vulneratum.

Tenè mei rear oblitum, dulcissime Jesu;

Rebus in adversis hoc licet usq; querar?

Non

Non equidem, tua si considero vulnera credo:

Quae memorem nostri te satis esse docent.

Namq; tuo mea sunt his nomina pectore scripta:

Quae veniens nunquam deleat inde dies.

Quin tua dextra simul restis, tua levaq; restis,

Cum pede utroq; mihi; te meminisse mei.

His siquidem quadruplex nostri nota restat amoris:

Militis à ferro qua nota facta feri.

12 Natalis Christi.

Lux redit illa, Dei de virgine Filius Alma,

Natus Ephratae qua fuit urbe Puer.

Redderet ut nobis illam nascendo salutem,

Quae lapsu fuerat perditâ Patris Adâ.

Atq; Dei faceret (qua gloria maxima) Natos,

Qui fuerant Stygii serva caterva ducis.

Pro quibus & mortis se sub juga misit adulus;

Penderet ut summo debita lyra Patri.

O amor, ô bonitas, ô gratia, ô ignis, ô ardor?

O pietas nullo non celebranda die!

13 Anni exordium.

Christe, fave, ~~quae~~ sit Jani mihi prima Calendis:

Alterâ, Christe, fave: tertiâ, Christe, fave.

Et sic ulterius. Nam quis meliora rogare,

Quis capere hac possit nobiliora die?

Si Christus faveat, quid curem cetera? Christus

Cui favet, is dominus cetera dives habet.

Ergo fave mihi, Christe, iterumq; iterumq; precabor:

Te mihi, tete uno, Christe, favente sat est.

14 Mors & Resurrectio.

Corporis induvias velut ex suo vespere vestes ;
 Induo manè novo corporis exsuviās :
 Induviās artus animæ, sic vespere vitæ
 Pono meæ ; lacera vestis ut induvias :
 Posthuma quamprimum surgent exordia lucis,
 Induo depositas corporis exsuviās.
 Non quales posui ; sed Christi corporis instar,
 Induo sic nitidas, quàm nitet ipsa dies.

15 Vita & Mors.

Vita quid est hominis? bulla est, fœnūq; caducū M;
 Ipse quid est? rapidi est pulveris instar hom. O.
 Tu me, seu moriar, seu vivā, Christe Redempto R,
 Adfere, te solo stat mea nixa salu S.

16 Divitiæ & delitiæ meæ.

Divitias fulvo, qui vult, sibi congerat auro :
 Delitias alius quarat ametq; suas.
Patris amor, Nati mors, sancti gratia Flatus,
Sunt mihi Divitiæ, sunt mihi Delitiæ.

17 Ad Jesum.

Teq; Patremq; tuum sancto cum Flamine Jesu,
 Carmine dulcedo est dicere summa mihi,
 O ea si detur mihi gratia, visq; canenti ;
 O mea, tam dulci carmina melle fluant :
 Lector ut inde tue simul in præconia laudis
 Accensus, mecum te, pie Christe, canat.

Tunc

Tunc ego nec faciam Cræsi quid regna beati :
 Omnigenas orbis nec quadriformis opes.

18 Lachrymæ Christi.

Cur flerit toties Christus, non riserit unquam,
 Inter agens homines, noscere quaris? habet.
 Vera nihil toto est, quod gaudia prestat in orbe :
 De quo flere queas, angulus omnis habet.

19 Ad Christum, Anno 1596. cū in
 primam Crempis concio-
 nem haberem.

Christe Patris verbum, cui parvuli, ad ubera matris
 Qui jacet, infantis balba loquela placet.
 Solvere qui lingue valuisti vincula mutis,
 Visibilis terris cum Deus hospes eras.
 Ecce domus adscendo tua sacra pulpita, verbi
 Unde sonant purè mystica jura tui.
 Tu mihi, Christe, novas ad opus tantum adjice
 vires :

Ut tibi grata loquar, suggere verba mihi.
 Tu moderare mihi juvenilis plectra loquela ;
 Et facilem vocis tu mihi pande viam.

20 Grates; post habitam concionem die
 25. Septembr. An. 96.

Christe, tibi summas humili fero pectore grates :
 Quod precibus dederis pondus inesse meis.

H s

Et pre-

M;
 O.
 R,
 S.

inc

Et precor, ut porrò vultu mea vota sereno
 Accipias, solitâ pro bonitate tuâ.
 Sic, duce te, te digna loquar: sic gratia nostro
 Dicetur post hæc pectore & ore tibi.

21

Iris.

Caruleus color est, color est & in Iride flamma:
 Fortè quid hicce notet, forte quid ille, rogas?
 Caruleus mundum notat interuisse per undas.
 Conflagratuum flammeus igne monet.

22 Heliotropium, sive Solsequium:
 Imago veri Christiani.

Ad solis radios quia verto floris ocellos,
 Seu veniente die, seu fugiente die:
 Nobile Solsequii rectè mihi vendico nomen;
 Nec magè grata polo nascitur herba solo.
 Tu quoq; J. & t. i. x. ad Solem si vertes ocellos
 Mentis, & hoc sequeris nocte dieq; jubar:
 Christianus rectè Christo de Sole vocaris,
 Teq; homo non poterit gratior esse polo.

23 Ad Deum Opt. Max.

Non, Pater alme, tua ferulas crucis horreo: sed ne
 Pro meritis ferias, flensq; gemensq; precor.
 Parva Patri satis est pro nati pœna reatu;
 Admissi veniam qui lachrymando petit.
 Degeneres scutica vexent & verbera natos,
 Me resipiscentem virga paterna regat.

In ira-

24 In iracundos.

*Irata quanta est, hei! precipitantia mentis?
 Quam furor in diras pronus it iste preces?
 Quisquis es in vitium hoc praeceps, compesce furorem,
 Auctoris repetant ne maledicta caput.*

25 Inter lavandum.

*Lavisti sacro qui me Baptismate primâ,
 Purior ut fierem candidiorq; nive.
 Nunc quoq; , quas isto contraxi à tempore , sordes
 Ablue purpureo sanguine , Christe, tuo.
 Namq; manus frustra faciemq; , pedesq; lavamus,
 Nostra tuo si non corda cruore laves.*

26 Inter vestiendum.

*Justitia, Pater alme, tua me vestibus orna;
 Et nudum meritis indue, Christe, tuis,
 Qualiscunq; teget nostrum sic corpus amictus:
 Ornatu niteo sat, pie Christe, tuo.*

27 Mores & Moræ Dei.

*Cœlitus auxilium rebus qui poscis in arctis,
 Disce Dei Mores ferre, Morasq; pati.
 Nempe Dei mos est, primum mersare profundo,
 Ex imo mersum post revocare Salo.
 Et mora nota D E I est: quod non mala protinus
 aufert,
 Quando placet nobis, sed sibi quando placet.*

28 Ad Jesum Christum.

Optima speramus, sed pessima quæq; sequuntur:
Mortis in hac miseri dum regione sumus.

Quin, si quid restat post omnia pessima pejus:
Deteriusve, procul non id abesse puto.

Tu nisi, Christe, venis, atq; omnia pessima finis:
Ut cælo exhibeas optima quæq; tuis.

29 Ad Christum Jesum.

Eheu quam lubricis homo passibus ambulat? eheu
Quam facile à vera deficit ille via?

Se quoties recto putat, hei! procedere tælo;
Incerto titubet cum tamen usq; gradu?

Tu reve, Christe, meos mundi per lubrica gressus,
Pergam ut inoffenso sydera ad alta pede.

30 Samson & Christus.

Mortè sua Samson plures pessumdedit hostes,
Quàm vivens valida fuderat antè manu.

In cruce sic Christus moriens, Orciq; Necisq;
Ac Satana regno maxima damna dedit.

31 Mater & CHRISTUS,
Esa. 49.

Filius à morbo curetur ut ager acerbo,

Pharmaca non mater sumere amara fugit.

Nos Christus plus quàm materno amplexus amore,

Pocula pro nobis Mortis amara bibit.

Fides

32 Fides parva ꝑ x verbis D. Casp.
Crucigeri.

*Christe, fide parva tibi supplico; sed licet isthac
Sit mea parva fides, est tamen illa fides.*

33 Vita Deo grata.

*Sola Deo grata est in Christo vivere vita:
Quo sine nulla Deo vita placere potest.*

34 Adamus & Christus.

*Ad vetitam dextram quia lignum extendit Ada-
mus,*

*Cum nece terrigenis intulit omne malum.
Sed crucis in ligno sua tendens brachia Christus,
Cum vita miseris reddidit omne bonum.*

35 Conscientia.

*Nos velut excusat recti mens conscia: sic nos
Ante Deum accusat conscia mens sceleris.*

36 Laban & Mundus.

*Istius est mundi Laban veterator imago:
Sic raro præbent dona cupita suis.*

*Rachelem exoptat; Lea pro Rachele Jacobo
Subditur. Hac mundo est notius arte nihil.*

*Exoptas Agnam? pro miti subditur Agna
Sæpè Lea, aut minor hac nobilitate Lupæ.*

37 Jesus noster amor, Psal. 73.

Jesu noster amor: quid enim te præter amare
 Sit mihi dulce solo, sit mihi dulce polo?
 Corporis atq; anima vis ista lique scat, Iesu:
 Tu mihi & in medio funere vita manes.

38 Mores Christi.

O amor, ô pietas; moritur pro fontibus insons:
 Proq; homine omnipotens: ô amor, ô pietas.
 O amor, ô pietas, sit victima Natus Herilis;
 Ut redimat servos: O amor, ô pietas!

39 Ingratitudo pro tanto hoc beneficio.

O scelus atq; nefas: quod tanti mundus amoris
 Non sentit flammâs, ô scelus atq; nefas.
 O scelus atq; nefas, quod Christo solvere grates
 Tàm pauci curant, ô scelus atq; nefas!

40 Christi Gratia, peccatis nostris major, Rom. 5.

Plura meis, fateor, mea sunt delicta capillis,
 Pluraq; sunt guttis Oceani innumeris.
 Nec despero tamen: quia Christi est gratia major;
 Illius & bonitas sine modoq; caret.

41 Conscientia.

Conscia mens sceleris frondis strepitu unius horret:
 Fulmina mens recti conscia nulla timet.

In hy-

42 In hypothefin Copernicam.

*Quid mirum, si stet cælum, si terra rotetur?
Sic terrena ruunt, cælica regna manent.*

43 Contemptus ultio.

*Si nihil fias, non ultio certior hac est:
Quàm nihil ut facias, te nihili fieri.*

44 Ipse faciet.

*Factua, & eventum facti committe Jehova:
Is facit, is fecit: Porro etiam is faciet.*

45 De voce J E H O V A H. Ad imitatio-
nem Sibyllæ apud Lactan-
tium.

*Dictio vocales simul unica continet omnes:
Idq; nihil prius est quo meliusve notat.*

46 Christus Medicus, Matth. 9.

*In Christo est medico semper, relevetur ut ager:
Illius haud unquam plus valet arte malum.*

47 Dominus propè.

*Longius à nobis quando Deus esse putatur:
Tum solet auxilio proximus esse suo.*

48 Ingratitudo Liberatorum.

*Sapè potest denos Pater unus pascere natos:
Rarò unum pascunt pignora dena patrem.*

Mise-

49 Miserere. Ad JESUM
Christum.

Sum miser; ab miseri miserere, Redemptor Iesu,
A miseris nomen qui miserator habes.
Nam misero mihi si tua non miseratio praesto est:
Sum miser, & miserum nemo juvare potest.

50 Vulnera Christi.

Vulnera qui propter mea vulnera, Christe, tulisti,
Sint mea vulneribus vulnera sana tuis.
Nam mea nunc sanent tua vulnera, vulnera, Jesu:
Nulla meis profunt pharmaca vulneribus.

51 Confitere peccata tua.

Quid juvat objecta culpam defendere nube?
Vis placare Deum? te fateare reum.

52 Mundamini, Esa. 7.

Nil profecturis oneras pia numina votis,
Sit tua si innocuo fœda cruore manus.
Ablue fœdatas pretioso sanguine Christi,
Si tua vota voles pondus habere, preces.

53 Ad Christum.

Da mihi, quod tibi, Christe, placet, quod displicet,
aufer:
Inq. meo gratiam fac tibi, corde, domum.

Nil

54 Nil sum.

Nil scio, nil possum, nil sum; tua, CHRISTE Redemptor,

Me miserum si non gratia sola beet.

55 Ex verb. Heliodori Historici
Græc.

*Mira Dei miracula sunt mersare profundo;
Et servare tamen spes ubi nulla super.*

56 Vita & Mors.

Si labor & dolor est vita hæc; Mors nonne piorum est:

Proq̄ labore quies, proq̄ dolere salus?

57 Vita hæc Hospitium & Ex-
filium.

*Qui volet huic vitæ genuinum imponere nomen,
Vel vocet Hospitium, vel vocet Exfilium.*

Hospitii lex est, alieno vivere more;
Pernoctare, iterum pergere, dura pati.

Exfilii lex est, sperni ludibria, sannas,
Atq̄, famem, atq̄ sitim ferre, carere domo.

*Lex eadem vitæ est hujus: sumus Hospitis omnes,
Exsulis & miseri conditione pares.*

Patria sed Christi pretioso sanguine aperta est:

Qua patet Hospitibus, Exsulibusq̄ piis.

Vita

58

Vita humana.

*Vita quid hac? Mors & multorum Lerna malorum
est;*

Dicatur pulchro nomine Vita licet.

59

Mors ubiq; nos sequitur.

*Quocunq; ingrederis te Mors observat euntem:
Observes mortem tu quoq; tutus eris.*

60

Clepsammidion.

*Adspice quàm properet fluitantis lapsus arena:
Atq; memento annos sic properare tuos.*

61

Symbolum Christiani I V. Re-
gis Daniæ.

Regna firmat Pietas.

Per omnes casus decl.

*N. Et Regi & populo est Pietas tutissima virtus:
Namq; ea firma magis regna adamante facit.*

*G. Sirex & populus flagrent Pietatis amore:
In terris regnum firmitus esse nequit.*

*D. Si Reges studeant Pietati, & subdita plebes:
Fortia sunt regno hoc mœnia nulla magis.*

*A. Rex modo cum populo Pietatem diligit; omnes
Contra hostes firmum possidet imperium.*

*V. O nostri pietas stabilis munitio Regni,
Rex te cum populo, det Deus, usq; colat.*

Firma-

A. Firmatur solium Regis Pietate, Deiq;
 Protegitur, contra vimq; dolumq; manu.
 Cur numero Pietas plurali non quoq; nota est?
 Una est, atq; unum novit, amatq; Deum.

62 Membra corporis humani.

Ordine quot toto Soles numeramus in anno,
 Corporis humani membra tot esse ferunt.
 Luce creatori pro membro qualibet uno,
 Si studeas grates solvere: Nonne parum est?

63 Ad Jesum Christum.

Qua per quinque miser commisi crimina sensus:
 Per tua tot sana vulnera, Christe, precor.

64 Fidere & Videre.

Fidere te verbo decet, haut ratione videre:
 Quid tibi, quaso, Fides, si ratione Vides?

65 De Viola.

Non ego quòd violem, sic dicor; sed quia plantis
 Calcantum violor; dicta ego sum Viola.

66 Musica.

Non homo, sed saxum est, vel saxo surdior omnis,
 Conventus quem non afficit harmonicus.
 Mentibus athereis homo proximus iste putatur,
 Symphonia resonum qui modulamen amat.

Hæc

67 Hæc, & posthuma vita.

*Hæc vita Exsilium grave, Carcere durius omni,
Cumq; dolore labor cumq; labore dolor.
Posthuma sed qua nos animabus vita beatis
Restituet, sola est nomine digna suo.*

68 Rosa, ex carmine Sapphus.

*Juppiter instituat si, Sappho iudice, regem
Floribus: Is, Sappho iudice, sola Rosa est.
Sic Rosa flos florum est, sic est Rosa ruris ocellus:
Sic decus herbarum est, sic Rosa gemma soli.
Sic Rosa odore placet, jungi sic apta corollis:
Sive albore viget, sive rubere veget.*

69 Vasa inania tinniunt.

*Unius impulsu digiti vas tinnit inane:
Dant nullum, aut minimum, vasa repleta sonum:
Buccinat ipse suas homo sic indoctior artes:
Quas doctus nunquam, vel minus ore crepat.*

70 Stultus. Proverb. 27.

*In Pila stultum Ptisana instar contere pilo:
Tàm tamen is stultus quàm fuit ante manet.*

71 Baculus Mosis. Exod. 7.

*In favum Mosis baculus convertitur angvem:
A facie cuius legifer ipse fugit.*

At quo-

*At quoties cauda digitis extrema prehendit,
In baculum serpens, quod fuit antè, redit.
Lex baculus Mosis, nos instar ubiq; colubri
Territat, & pavido corda timore ferit.
At Christum tangat fidei si dextera finem
Legis; ab hac facies mox colubrina fugit.*

72 Mors Christi.

*Fac tibi Mors Christi nunquam de mente recedat:
Sic tua non fuerit mors metueda tibi.*

73 Ex verb. Caroli V. Imperatoris.

*In me, Christe, manes; maneo in Te, Christe Redemptor:
An queat ergò Satan, Morsve nocere mihi.*

74 Mannæ cœlestis Nausea.

*Magna fuit quondam cœlestis nausea Mannæ:
Nōne hodie est verbi nausea tanta Dei?*

75 Aliter.

*Quanta fuit quondam cœlestis copia Mannæ,
Tàm fuit ætherei nausea magna cibi.
Sic ubi summa hodie cœlestis copia verbi est:
Proh dolor, hujus & est nausea summa cibi.*

Esavus.

76

Esavus. Genes. 25.

Lenticula vendit vili pro pulte Jacobo,
 Jus primogeniti mentis Esavus inops.
 Maxima pars hominum presert terrestria coelo;
 Pulmentoque poli gaudia vendit opum.

77

Pastor Ægyptius.

Spretus erat Phariis ovium ceu Pastor in oris;
 Sic gregis est Pastor spretus in orbe Dei.

78

Symbolum Barptol. Bilovii, Com.
 Palat. Cæsarei.

*Spes mea Christus erit; durum
 Patientia vincit.*

Vincere vis, qua dura premunt? ea vince ferendo:
 Sed nimis est, dicis, tot mala ferre grave;
 Sit licet: est leve ferre, tamen durissima: si Spes
 Sit Christus, pro te qui mala cuncta tulit.

79

Christus spes mea.

Si neque Spes toto neque Res mihi restet in orbe:
 Spes mea Christus erit, Res mea vera Salus.

80

Siracid. cap. 23.

Sit celare homines possis tua furta; Jehovam
 Num celare miser te quoque posse putas?

Aurea

81 Aurea secula.

*Aurea fluxerunt, argentea praterierunt
 Secula, qui quereris: corrige, quod quereris.
 Secula nunc argentea sunt, nunc aurea verè:
 Aurum atque argentum nunc quia quisque sitit.*

82 Terra es, Genes 3.

*Et sibi quis multos promittere credulus annos
 Audeat, è terra qui fabrefactus homo est?*

83 Ex Germanico.

*Quid mundus? quid opes mundi? quid gloria
 mundi;
 Quid mundus quibus est ebrius, illecebra?
 Quicquid id est; nihil est: quondam nihil ut fuit
 orbis,
 Utque brevi in nihilum, quod fuit ante, ruet.*

84 Fides.

*Rara avis in terris, alboque simillima corvo est,
 Ingenua, & fuco non medicata Fides.*

85 Symbolum Friderici II. Regis Daniae, felic. mem.

Treu ist Wildpret.

*Rara aprugna caro est in mensa pauperis Iri:
 Cum candore fides rarior ingenua est.*

Aliter.

86

Aliter.

Rarus aper mensis obsonia prabet egentum:
Hoc tamen ingenua est rarior orbe fides.

87

Deus Cor intuetur.

Extima non spectat, cordis Deus intima spectat:
Cui nec aperta modo, sed quoque operta patent.

88

Incendia & exustiones urbium,

An. 1612. 1613. 1614. &c.

Cur vexat toties exustio tristior urbes?
In fumum & cinerem quâ rediguntur opes?
Crede mihi, sunt hæc prænumicia signa diei,
Quo cinis & fumus totus hic orbis erit.

89

Lingvæ & cordis dissidium.

Lingua mel atque merum sapit, at Cor, fel & acetum:
Hinc verbis non sunt consona facta tuis.

90

Deum nihil latet.

Quod cupis, ut lateat, dicas faciasve, caveto:
Quin neque volve animo quod cupis, ut lateat.
Si lateant homines tua dictaque factaque cunctos:
Quæque animo volvis, si lateant homines:
Anne Deum lateant? qui scit, quæ mente volutas,
Audit, quæ loqueris, quod facis, omne videt?

Ex verb.

91 Ex verb Trajani Cæs. ad Præfe-
ctum Prætorii.

*Accipe, & hoc pro me, si rectè ago, stringito ferrum ;
Si non, me contra stringere nec metue.*

92 Lætum & Lethum.

*Nil lætum est, quod non possit confundere lethum ;
Lethi igitur, quoties lætus es, esto memor.*

93 Amor Christi, Genes. 15.

*Si Christum toto quis pectore diligit ; illi
Et pretium, & merces maxima Christus erit.*

94 Templum, Genes. 28.

*Quàm sacer hic locus est ? domus hæc est ipsa Je-
hova ;*

Ad cæli certò hæc atria porta patet.

95 Ex Græco Palladæ.

*Flens ego sum genitus, cum fletu finio vitam ;
Et præter fletus nil mea vita fuit.*

*O genus humanum fletu miserabile plenum ;
Sub terram traheris, solveris in cinerem.*

96 Cælum, solumq; differunt.

*Quod placet hic nihil est, aliquid licet esse putetur ;
Solutus habet, bona quæ suntq;, manentq;, polus.*

I

Ergò

Ergò saio adfixi curent terrestria porci :
 Latemur cœlo, quos bona vera manent.

97 Precum efficacia.

Dimidium facti velut est inceptio felix :
 Dimidium studii sic pia vota puto.
 Ergò quis in studiis ut progrediatur honestis ;
 A precibus vires speret opemq; piis.

98 Ænigma ex Danielis cap. 2.

Quis lapis absq; manu miro de monte revulsus,
 Est saxum factus, quod replet omne solum ?
 Virgine qui de matre, viri sine semine natus,
 Astra, solumq; replet Christus Homo atq; Deus.

99 Ex verb. Comici Græci.

Rex animata Dei rectè celebratur imago :
 Sed qui justitia est & pietatis amans.

100 Lingvæ ratio habenda.

Maxima sit lingua ratio tibi, si sapis : illa
 Nam nihil est melius, deteriusq; nihil.

101 Votum proficiscentis.

Nos foris atq; domi, Deus ò tua dextera servet :
 Sic oberit nobis nil foris atq; domi.

102 Aliud.

Nocte dieq; sumus subjecti mille periclis
 Christe ades : & tuti nocte dieq; sumus.

Tuo

103 Tuo te pede metire.

*Nunquam tentabis, quod te non posse putabis :
Stultus ad ima ruis, si nimis alta struis.*

104 Mors piorum non est interitus,
sed ad vitam æternam in-
troitus.

*Interitus non est mea mors, quia lumina claudo
In Christo: ad vitam sed magis Introitus.*

105 Cœlum piis Patria, Mundus
Noverca.

*Atria cum tibi sint cœlorum Patria; Mundus
Quid mirum si sit dura Noverca tibi?*

106 Porta gratiæ nulli clausa.

*Gratuita nulli bonitatis janua clausa est;
Si modo contritæ pectore pulset eam.*

107 Christus cur è cœlo in mun-
dum venerit.

*Ut nos insereret terra de pulvere summis :
E cœlo summus venit ad ima Deus.*

108 Mundus.

*Mundus hic est, cassa nucis instar, pulcher ab extra :
Vermiculos præter sed nihil intus habet.*



109 Manus pauperis; Christi Gazophylacium.

*Thesaurus Christi est, manus ara petentis egeni:
Et sata qui multo faenore reddit, ager.*

110 Conscientia.

*Pulchra anima est facies mens recti conscia: Quam nil
Pulchrius ante homines, pulchrius ante Deum.*

Contra.

*Fæda anima est facies sceleris mens conscia, qua nil
Turpius ante homines, turpius ante Deum.*

111 Asinus Judex.

*Inter aves certamen erat: dulcedine cantus,
Annè prior Cuculus, Daulias annè foret,
Hac palmam de jure dari sibi postulat: ille
Non minus hanc clamat cedere jure sibi.
Pars pugnat pro se rationibus utraque; tanta
Sed non componi licet ratione potest.
Arbiter eligitur; quia sic utrinque placebat;
Vicino carpens pabula Asellus agro,
Nempe Mida auriti germanus is auribus amplis:
Certantes Judex ut foret inter aves.
Judicis officium rudis haut detrectat Asellus:
Perque vices jubet hinc utraq; cantet avis.
Daulias argutum modulatur gutture carmen:
Quod volucrum reliqua per nemus omne probant.
Inchoat*

Inchoat inde rudi Cuculus quoque voce; summusque
 Nil, nomen nisi, quod cantus ineptus, habet.
 Dum cantu haec certant: Pralongas arrigit aures
 Mulus, ut, utraque viam sit prior arte, notet.
 Mox ait: Arbitrio quia lis haec ardua nostro est
 Credita: Judicii summa sit ista mei:
 Dauias harmonica quamvis sat nobilis arte es:
 Est tamen ad captum non tua Musa meum.
 Perplexam nimum quia carmina voce vibrissas:
 Et modo summa tono, mox petis ima tuo.
 Ingeminat cantum Cuculus gravis arte Choralem:
 Musica nec cerebro est aptior ulla meo.
 Hinc justum est Cuculo palmam decernere: Num-
 quid
 Non Phaebo hic etiam Judice victor sat?

112

Oratio.

Non opus est alto vocis clamore pretanti:
 Cum Deus et cordis percipiat gemitus.
 Nec, fiat multis, opus est oratio verbis:
 Nota animi cum sint intima sensa Deo.

113

Dies & Nox.

Et Vita, et Mortis, Cali, Erebi, figuram
 Ostendunt vicibus Nox, Dies, suis.
 Nox siquidem tenebris venturae Mortis imago est,
 Inferno reprobos quae sine fine premet.
 Luce dies rosea Vita melioris imago est,
 Exoptata poli quae manet arce pios.

I 3

Ergo

*Ergò tibi tenebris si lux magè grata diei est,
Tartareoq; Polus gratior igne stygis?
Noctis opus, scelus omne, Erebo fuge pejus & Orco:
Et studio vigili perfice Lucis opus.*

114 Ex verb. Friderici I l. Ducis
Saxoniae.

*Qua Ratio fingit, possunt ratione refelli:
Verba Dei Ratio vincere nulla potest.*

115 Ex verb. Hiskiae, Efa. 38.

*Offendant ne, Christe, tuos mea crimina vultus:
O ea post tergum projice, cuncta tuum!*

116 Crux Christi, Ex verb. S. Eli-
zabethae.

*Quid juvat in pulchro Christi Crux pariete picta:
Illa fide nisi sit pectore fixa tuo?*

117 Efficacia precum: Exem-
plo Moſis.

*Magna precum vis est, infringunt Numinis iram,
Eq; manu rapiunt tela cruenta Deo
Amramida exemplo: qui vindicis arma Jehovae
Frangit, & iratum cogit amare, prece.*

118 Mors à morſu.

*Arbore de vetit à quia poma momerdit Adamus,
Nomen ab hoc morſu Mors truculenta tulit.*

Atq;

Atq; suo in terris depascitur omnia morsu:
Nec quid ab hoc morsu moris in orbe vacat.

119 Ad Christum: Peregrè pro-
fecturus.

Christe, domus tibi nostra, tibi sint parvula cura
Pignora: Tu Patris his, matris esto vice.
Nosq; domo angelica comitare cohorte profectos:
Ac salvos patriis deniq; redde focis.

120 Ad eundem.

Hac sine te nihil est nisi mors mihi vita, Redemptor
Est tecum versa Mors mihi vita vice.

121 Ad Conjugii candidatum.

Si qua placet plenis virgo tibi nubilis annis,
Conjugii cuperes qua tibi iure dari;
Hanc fac, ut imprimis Christo duce & auspice ducas,
Virgo decens fiat ne tibi Virga nocens.

122 Ad Exulem G. B.

Hic tibi sava domus si fors fortuna negarit.
Hic si te exiorrem jusserit esse Deus:
Certa domus, sperata salus, optataq; sedes
Est tibi, ne dubites, parata, parata polo.
Perge igitur prius esse tuumq; hoc symbolon esto:
Res mihi nulla solo: Spes mihi sola polo,
Patria vera mihi salvete, o atria cæli;
Terra vale hospitium, terra vale exsilium.

123 David & Goliathus.

*Armatum fudit Goliathum David inermis :
Qui factum ? ille armis fudit : at hicce Deo.*

124 Tolluntur in altum.

*Ne sceleratorum sorte offendare secundâ,
Tolluntur, lapsu quo graviore ruant.*

125 Mundi Sapiaentia.

*Ne tibi sit mundi cura sapientia : Namq;
Qui sapit ante homines, desipit ante Deum.*

126 Ex verb. Ciceron s.

*Pestem alii quicumq; paras tibi scito paratum,
Cogare ut pestem, participare parem.*

127 Malus, malæ, malum.

*Omne malum nobis malo provenit ab uno :
Dum suadente Malo mala mala edit homo.*

Aliter.

*Omne malum mundo mali unius intulit esus :
Nascimur inde mali, dicimur inde mali.*

128 Ex verb. Plaronis.

*Bis pueros vetus esse senes sententia dicitur :
Ebrui at stolido præ sene, ter puer est.*

Ingra-

129 Ingratus.

*Nil homine ingrato pejus reperitur in orbe :
Dixeris ingratum, dixeris omne scelus.*

130 Nosce teipsum.

*Quid fueris, quid sis, quid post aliquando futurus :
O homo, perpetuò te meminisse decet.*

131 Ex Alphonfi Regis Arragon.
Apophtegmate.

*Rex olim Arragonum fertur dixisse . beatum
Et felix tandem sic fore conjugium :
Si vir sit Surdus multas audire querelas :
Mutaq; sit conjux multa referre viro.*

132 Vitæ humanæ sagacitas.

*Ros sata manè rigans Solis consumitur ortu :
Lux cum Sole venit, Sole abeunte fugit.
Manè sub Auroram surgit Flos, vespere langvet :
Quàm citò ab axe venit, tam citò Ventus abit.
Exiguo rebus prestat Fax tempore lucem :
Vox citiùs dicto non revocanda fugit.
Nox brevis, Aurorâ lucem referente, recedit :
Nix in aquam subito, Sole calente, redit.
Manè oritur Rosa mox floret, mox flaccida langvet ;
Et subito in ventos Fumus ab igne fugit.*

Fons citò decurrit, nec lapsa revertitur unda :

Naribus acceptus quàm citò transic Odor ?

Corporis Umbra comes, Phæbo fugientt, recedit :

Et subitò linquit languida membra Sopor.

Purpurea afflatu Frons decidit arbore venti :

Et mox in ventos transit, abitq; Vapor.

Hora brevis fugit, & nescit fugitiva reverti :

Quid Sonus est ? nihil est, tam citò ab aure fugit.

Sed citius fugiunt humana tempora vite :

Hac quamvis fugiant tempore cuncta brevi :

Ros, Lux, Flos, Ventus, Fax, Vox, Nox, Nix, Rosa,

Funus :

(Sonus.

Fons, Odor, Umbra, Sopor, Frons, Vapor, Hora,

Amicus.

133

Æs homini gratum multos conducit ad usus :

Pulchra ferens segetis germina gratus Ager.

Arx grata est homini tutum qua prestat asylum :

Auctumni Vitis tempore grata ferax.

Dos quoq; grata venit sponsam comitata marito :

Grata placet pulchro flore & odore Rosa.

Gemma nitens grata est pretioso inclusa monili :

Estq; vehens merces per freta grata Ratis.

Gratus Amicus erit magè, sint licet omnia grata :

Æs, Ager, Arx, Vitis, Dos, Rosa, Gemma, Ratis.

134

Vitæ humanæ fugacitas.

Bulla, Cinis, Flos, Gramen, Acus, Folium, Umbra,

Soporq; :

Nos sumus, aut his si quid minus esse potest.

Bulla

Bulla velut citò nata natat, medioq; natatu,
 Dum tumet exspirat : sic citò transit homo.
 Ut Cinis è cremis citò fit, mox folle vel aurâ,
 Spargitur hac illac : Sic citò transit homo.
 Ut Flos manè oritur, moritur citò vespere languet,
 Nunc est, mox non est : Sic citò transit homo.
 Ut modò pubescit Gramen, mox falce resectum
 Langvescit moriens : sic citò transit homo.
 Ut gyratur Acus versatum à turbine venti :
 Aut flatu quo vis : sic citò transit homo.
 Ut frondem Folium modò vestit, mox levis aura
 Decidit impulsu : sic citò transit homo.
 Ut Sol donec adest, cemes est quoque corporis Um-
 bra,
 Et citò discedit : sic citò transit homo.
 Ut paucis fessos horis Sopor irrigat artus;
 Et citò linquit eos : sic citò transit homo.
 Sic citò transit homo : vel si quid dicere possis,
 Quod citius fugiat : sic citò transit homo.

135

Conjux pia & proba.

Gratus agris Ros est, succum qui sufficit herbis :
 Qui sata multiplicat foenore gratus Ager.
 Arx belli grata est, quæ tempore submovet hostes :
 Grata satis Zephyri frugibus aura venit.
 Dos casta locuples cum compare grata marito est :
 Aes gratum multis usibus esse solet.
 Gratum auro & gemmis Diadema nitentib. aptum :
 Virgineis multum grata Roseta choris.

I 6

Grata

Grata est cum Phæbo si Sirius astuet Umbra,
Et Comes est gratus, qui breve reddit iter.
Gratus, qui reficit languentia corpora, Somnus,
Uvarum Auctumno Vineæ grata ferax.
Grata suo antestans ipsa auro Gemna nitore:
Advectans merces per freta grata Ratis.
Gratior est pietatis amans, vitæq; pudica
Conjux, hæc fuerint omnia grata licet:
Ros, Ager, Arx, Zephyrus, Dos, Æs, Diadema,
Rosetum:
Umbra, Comes, Somnus, Vineæ, Gemna, Ratis.

136 Vita cœlebs.

Triste viatori, & maturis frugibus Imber:
Triste ubi munitum rupit ovile Lupus.
Triste gelu, & Glacies sulcantibus æquora nautis:
Triste ruens misto turbine Grando satis.
Triste hominum inficiens lethali corpora Pestis,
Intempestivo tempore triste Nives.
Tristior est homini cœlebs sine conjuge vita:
Imbre, Lupo, Glacie, Grandine, Peste, Nive.

137 Vita Conjugalis.

Dulce redit terris duro Ver frigore pulso:
Dulce Opibus grato corpore posse frui.
Dulce nimis zephyri lassis messoribus aura:
Dulce sub auroram Ros sata manè rigans.
Dulce Quies lassæ restaurans corporis artus:
Estq; Rosæ cerebro dulce rubentis odor.

Dulcior

*Dulcior est homini grata cum corpore vita:
Vere, Opibus, Zephyro, Rore, Quiete, Rosâ.*

138 Ad Deum Opt. Max.

*Hanc animam mihi qui corpusq̄, Jehova, dedisti,
Tutor, & adsertor muneris esto dati.
Tu vires anime, vires tu corporis auge,
Serviat obsequiis hoc ut & illa tuis.
Nam mihi quid vires anime quid corporis optem:
Sint nisi servitio, Jova, dicata tuo?*

139 Ad Deum Patrem, ex verbis
Bernhardi.

*O utinam appendas unâ peccata staterâ
Nostra, necem toties qua meruere, Deus!
Et tuus appendas meruit qua natus eadem:
Pro nobis passus vulnera, flagra, necem.
Pondere nempe tui Mors quinaq̄, vulnera Nati,
Excedunt longè crimina nostra suo.*

140 Nobilitas hominis.

*Cætibus angelicis homo qui minor editus olim est:
Nunc multò est major cætibus angelicis.
Ex quo factus homo Deus est: quem cætus adorat
Angelicus Dominum, Tartara nigra tremunt.*

141 Vita beata ubi quærenda ex ver-
bis Augustini.

Quid vitam in mortis quæris regione beatam?

Quærenda est alio vita beata loco.

Namq; hæc, si vita neq; nomen vita meretur:

Quomodo dic, vita hic esse beata queat?

142 Ex verb. Bernhardi mo-
rientis.

Perdita cuncta mea sunt, eheu, tempora vita:

Ulla nec est culpâ, qua vacet hora gravi.

*Pro quibus haut quicquam est tibi, quod, Pater almae,
reponam,*

Cor nisi contritum: Spernere id annè voles?

143 Ad Ærarii Antistitem.

Pauperibus quæcunq; facis, facis omnia Christo:

Christus in his limen sistitur ante tuum.

Ergone tu Christum patereris frigore aduri?

Aut Servatorem veste carere tuum?

Qui pro te passus frigusq;, famemq;, necemq;,

Liber ab æterna ut morte geluq; fores.

Non paterere reor: miserere proinde gementis;

Limina qui pulsat nudus egensq; tua.

144 Pro Sementi.

Christe, fave cæptis, tibi sint sata semina cura:

Et fac, ut hæc multo fœnore reddat ager.

Sibi

145 Sibi vivens, Christo mortuus.

Mortuus est Christo, sibi si quis vivere querit:

Vivere si Christo vis, mori tibi.

146 Ad Jesum Servatorem.

Me tua, Servator dulcissime, dextera ducat:

Teq; volens alacri, da, sequar ipse gradu.

Quod caro si mea lenta sequi neget, acriter urge.

Atq; renitentem vi potiore trahere.

Quin fode vel crucis hanc stimulis, neque parce, tra-
henti

Veltibi sic tandem praestet ut obsequium.

Felices stimuli, calcaria sancta; Jehova

Nos adigunt alacri qua pede jussa sequi.

147 *Αὐτάρεξια.*

Sit mihi, sitq; meis, qua postulat usus & esus:

Consciamensq; boni; cetera curo nihil.

148 Arbor.

Arbor erat, mortem qua primus Adam intulit orbi:

Alter Adam vitam qua dedit, arbor erat.

149 Ex Homero.

In Clypeo Musas cur pinxit Homerus Achillis?

Tutari Musas Principis officium est.

150 Currus Heliae, 2. Reg. 2.

Non est interitus mea Mors, sed currus in altum

Quo vehor, & Christo jungor in arce poli.

Cerberus

151

Cerberus.

*Quid post fata tibi noceat ne Cerberus, horres,
Inferni custos liminis ille triceps?*

*Nunc metuendus is est, dum vivis: Nam Caro,
Mundus,*

Plutoq; , sunt verè Cerberus iste triceps.

152 De Gallo gallinaceo, seipsum, an-
tequam cantu suo alios excitet,
concussu alarum ani-
mante.

*Quam canat ante suis se Gallus, ut excitat alis,
Verberibusq; suum rudit utring; latus.*

Sic alios qui vis cum fruge docere monendo:

Te prius ipse mone, te prius ipse doce.

Omnis enim friget doctrina tepetve monentis,

Ni doctor monitis ardeat ipse suis.

153 Epigramma præscriptum Enchiri-
dio Meditationum, Soliloq. &
Manual. Augu-
stini.

Libellus ad Lectorem.

Parvus hero semper soleo comes esse libellus,

Sive sit hic tristis, sive sit hic hilaris.

Si tri-

*Si tristis ; tristes didici depellere curas,
 Et cordi medicam ferre gementis opem.
 Dum patriam exhibeo mentem in sermone Jehova ;
 Et praeo voces quæis roget ipse Deum.
 Sin letus sit herus, letis moneo addere finem ;
 Dum doceo humanis rebus inesse nihil,
 Unde queat gaudere pius : jubeoq; supernis
 Querendam in Christo latitiam esse locis.*

154 In superbos.

*Omnia sunt stultis ubicunq; repleta superbis,
 Maximus illorum quilibet esse cupit.*

155 Conscientia & frænum, & flagrum est.

Commissum ante nefas homini est mens conscia frænum :

Commissum flagri post scelus instar habet.

156 Deus animæ turbatæ requies.

Tres turbant hostes animam ; Satanas, Caro, Mundus ;

Solus turbatæ est spes requiesq; Deus.

157 Mira Satan facere potest, non vera miracula, Exod. 7. & c.

*Mira facit Satanas, nunquam miracula vera :
 Ludere scit, sed non ledere ubiq; pios.*

Ex Mar-

158

Ex Martiali.

*Si morsus vitare velis, & acerba cavere
 Vulnera, qua mentem nocte dieq; coquunt :
 Nulli te nimium fecisse, memento, sodalem :
 Sic erit, at letus sis, doceasq; minus.*

159

Conjugium.

*Conjugium fit dulce jugum, si sis pius; at si
 Non sis, conjugium fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, si caelitus optes
 Consortem, si non, fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, duxisse pudicam
 Si studeas, si non, fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, tibi ducere cures
 Si similem, si non, fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, dilectio mentes
 Si junctas; si non, fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, mens una jugatis
 Si maneat; si non, fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, si pectore forti
 Dura feras; si non, fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum, si crimina vites,
 Si non, conjugium fit tibi triste jugum.
 Conjugium fit dulce jugum; si nocte dieq;
 Vota facis: si non, fit tibi triste jugum.*

Ex ver-

160 Ex verbis Tertulliani, lib. de Resurrect. carnis.

Numen erat populis, Elephanti è dentibus olim
 Phidiaca sculptus Juppiter arte manus.
 Non quia ebur: sed ebur tantus quia sculpserat auctor;
 Artificiꝫ manu finxerat inde Jovem.
 Quisq; Deum flexo coluit quem poplite, nullum
 Cum tamen exanime hoc numen haberet ebur.
 Adsumsit nostram Maria de virgine carnem,
 Carne & in hac habitat, qui regit astra, Deus.
 Hancq; suam evexit secum super aethera carnem,
 Nunc ubi ea in solio regnat ubiq; Dei.
 Ergò nec iste colendus homo sit poplite flexo;
 In quo habitat verus, cunctipotensq; Deus?
 Ergò nec hunc homines hominem reverèter adorent,
 Quem Deus ad dextram sustulit ipse suam?

161 Mors piorum.

Nemo male moritur, moriens qui corde fideli
 Amplexus Christum fata suprema subit.

162 Perdita tempora.

Perdita quid culpas hac tempora? perdita non sunt;
 Perditus es, bona qui tempora perdis homo.

163 Promissis dives.

Aurea promittunt multi, vix aerea praestant;
 Magnificus verbis quilibet esse potest.

For-

164 *Fortuna cæca.*

*Cur cacam finxit fortunam docta vetustas?
Quod sit amica malis, atq; inimica bonis.*

165 *Tenax requirit prodigum.*

*Euclio quas genium fraudans comparset avarus,
Helluo discinctus postmodò perdet opes.*

166 *Fœmina.*

*Ne pro luce crucem capias, cave: Fœmina cum sit
Lux cordata suo, crux odiosa viro.*

167 *Lingva hominis.*

*Nil melius lingva est, lingva nil pejus in orbe est:
Namq; potestatem vitæ habet atq; necis.*

Aliter.

*In lingva posita est vitæq; necisq; potestas:
Nil melius lingva est, pejus in orbe nihil.*

168 *Amor & Mora.*

Sunt AMOR & Mora idem, numero pro literularum,

Sed pro re, minimè sunt Amor & Mora idem.

169 *Aliter.*

*Vox quadrilittera Amor, Mora vox quadrilittera,
quamvis*

Convenient; tamen & conveniunt minimè.

Literis.

*Literulis ceu conveniunt ; sic distat ab una
Altera : Nam gravis est res in amore Mora.*

170 **Piscator ictus sapit.**

*Lafus ab igne semelrefugit post parvulus ignem :
Cur, toties turpi lafus ab igne, redis ?*

171 **Ad limen januæ superius.**

*Alme Deus, domus hae te vindice tuta perennet ;
Sintq; manu facta hae teeta tegente tua.
Pelle procul flammæ, procul omnia noxia pelle,
Ne noceant domui, ne noceant domino.*

172 **Symbolum Joannis Ernesti Schof-
feri J. U. D. &c.**

**Vim SORTIS & MORTIS non
timet FORTIS.**

*Sors sua quemq; manet, non aequè prospera cunctis ;
Huic ridens, illi sors sua tristis adest.*

*Fors sua quemq; manet, cunctis variabilis horis ;
Hunc premit, ast illum sydera ad alta levat.*

*Mors sua quemq; manet ; non uno tempore, tollit
Nunc puerum aut juvenem; nunc rapit illa senem.*

Ergò Deo fidas, speres, patiaris, & ores :

Sic non, Sors, Fors, Mors ulla nocere potest.

Quin victor Sortis, Fortis, Mortisq; subibis,

Quo Sors, Fors, & Mors non subit, Astra Poli.

Idem

Idem Symbolum aliter.

*Nec Sortis metuit nec Mortis spicula Fortis:
Sit permagna aliàs vis utriusq; licet.*

Aliter.

*Nec Sortis metuit nec Mortis Fortis ab icū:
Sors tonet, & rugiat Mors fera fortis ovat.*

Aliter.

*Ridet vir Fortis dubia ludibria Sortis,
Et curat Mortis tela cruenta nihil.*

Aliter.

*Non decet ad Sortem, aut Mortem pallefcere For-
tem:*

Utraq; seua licet spiret ubiq; minas.

173

Votum ex Psal. 121.

*Introitus felix sit, & exitus, auspice Christo:
Tota sit hoc uno vindice tuta domus.*

174

Autor ad Deum.

*Disco, docere alios, qua possim, cepta docentis,
Cæptaq; discentum, tu Pater alme, iuva.*

Aliter.

*Sunt tua, qua doceo, qua disco docendo, Jehova:
Da mihi, qua discam, da mihi, qua doceam.*

Ex Ly-

175 Ex Lyfand. Apophthegmate.

Exsuvium si non satis est crudele leonis ?

Ad sue vulpinum, vis ita tuta dolo est.

Sed jubet esse suos Christus sine felle columbas ;

Et vera adfectu simplicitatis oves.

176 Christus pro nobis passus, & mortuus.

Pro servis moritur Dominus, pro fontibus insons :

Pro captis liber vincla, crucemq; subit.

Vita trucidatur, vita pro munere cassis :

Proq; reis Judex sustinet esse reus.

Quin, quod adhuc majus fit victima Conditor orbis,

Incola sit precio hoc salvus ut orbis homo.

O pietas, o summa Dei dignatio : Tanti,

Vile Creatori plasma quis esse putet ?

177 Ex verb. Bernhardi.

*Sunt mihi crux, qua mundus amat ; vice sunt mihi
versa*

Delitia, mundus qua putat esse Crucem.

178 In Superbum.

Sis aliquid, quin te sis omnia iudice solus :

Res tamen ipsa nimis te nihil esse docet.

179 Carmen & Poeta.

In precio carmen fuit olim, & carminis autor :

Sed nunc in nullo est illud & hic pretio.

In ima-

180 In imaginem Superbiae, &
Pavonis.

Laudatam tollit volucris Junonia caudam,
 Si nil mireris, pendula cauda manet.
 Fallor ego; aut crescit laudata Superbia: Et hoc est
 Hujus ad effigiem picta quod haec sit avis.

181 In imaginem Palladis.

Nata Jovis summi cerebro Tritonia Pallas,
 In studiis colitur militiaq; Dea.
 Quae causa est? haec est; quod gloria, fama, triumphus,
 Et studiis petitur militiaq; simul.

182 Superbia.

Forma favor populi, robur, nummiq; superbis
 Materiem festus addere saepe solent:
 Sed fugit hoc vitium licet his sit dotibus auctus,
 Qui scit, quod fugiat tempore id omne brevi.

183 In imaginem Veneris & Cu-
pidinis.

Cur Regina Paphi flammis cor sustinet ustum?
 Cur a cum, pharetram, telaq; gestat amor?
 Causa utriusq; eadem est: vis significatur amoris:
 Urit ut ignis amor, laedit ut arcus amor.

Summa

184 Summa repente ruunt.

Magna quid adfectas? quid summa, quid ardua speras?

Magna repente cadunt, summa repente ruunt.

185 Ex verbis Sophoclis,
Ajace.

Matrone si dos est maxima, vita pudica?

Proxima dos quod sit, posse tacere, puto.

186 Uxor quomodo ducenda.

Auribus uxorem duc, non modo ducito ocellis:

Judicium fame quam probat, illa proba est.

187 Amicus alter ego.

Unanimes una est binos anima inter amicos;

Ille quod est, es tu: tu quod es, ille iterum.

188 Aenigma, ex Josuæ capite decimo.

Dic mihi, quæ similem sibi lux non viderit antè?

Quæq; sibi lucem non habitura parem?

Jussu hominis quæ Solis equi voluere morari,

Atq; unum ex gemino nobilitare diem.

189 Genes. I. Fiat Lux.

Vox tua prima, Deus, lucem distinxit ab umbris:

Visaq; sunt, tenebris qua latuere prius.

K

O men-

O mentis tenebras nostra vox hac quoq; pellat :
 Ut pateant verbi mystica sensa tui.

190 In SphæruLAS preCATORIAS, & ho-
 ras CANONICAS.

Quid numero stultus preCulas metiris & horis :
 Cum procul à precibus mens sit ubiq; tuis ?
 Non numero Deus, et devoto peCtare vota
 Meritur ; gemitus ponderat, haut fremitus.

191 Ex verb. Plauti.

Quo sit prandendum, aut cœnandum tempore qua-
 ris ?

Non solaria opus consulere esse reor.
 Si modo sit quod edas, latrantem consule ventrem,
 Clepsydra poterit venter ita esse vice.

192 In Superbum.

Quo magè lanx trutina est levis, hoc magè surgit in-
 altum,

Sed quo plenior, hoc vergit ad ima magis.
 Sic & inanis homo se pradicat ipse, levatq;
 Altiùs ; at verè qui pius, ima petit.

193 Ad S. de voto.

Vovisti ; votum prestare memento Jehova ;
 Teq; hujus moneat qualibet hora reum.
 Si fallis, Domini gravis indignatio restat :
 Iratum, gravis est res, habuisse Deum.

Respon-

: mali animi Responsio.

164 Ad Jesum Christum.

*Voti sed voti, hei! quoties miser immemor hujus,
Sic vixi, ut vita me miserum pudeat:
Christe met miserere rei, noxasq; remitte;
Placatumq; tuo redde cruore Patrem.*

Anagramma.

195 Cras. Sarc.

*Vivere cras, resipiscere cras promittis; at illud
Cras tumba, retro si legis, omen habet.*

Aliud.

196 Leben. Nebel.

*Quod nihil haec sit vita, licet pretiosa putetur,
Teutonis egregie nos anagramma docet.*

Aliud.

197 Laban. Nabal.

*Faciden Laban fraudat mercede Jacobum,
Ingratum Nabal se exhibet Isaida.*

198 Tria animalia, toti orbi imperantia.

*Anser, Apis, Vitulus rerum potiuntur in orbe;
Atq; sua Reges vi populosq; ligant.*

K a

Mens.

*Membrana ex vitulo fit ; arat penna anseris illam :
Cera fit ex apibus, qua rata scripta facit.*

199

Ænigma.

*Dic mihi, præ reliquis qua sunt animalia terris
Nota, simulq; salo nota, simulq; polo?
Et Canis, & Serpens, & Corvus habentur in
Astris,*

Et simul in Terris, & simul in Pelago,

200

Ænigma de Terra.

*Et cibatur & potatur natorum millia multa
Una parens, eadem devorat ista parens.
Et tandem revomit, quacumq; absumserat ante
Pignora ; res vera est, mira sit illa licet.*

201

Aliud de Papyro, & huic inscri-
ptis literis.

*Candidus est ager ; hoc sunt semina condita nigra :
Prætereunt multi, quos seges ista latet.*

202

Ex Plutarchi Convivalibus. Duo
cùm faciunt idem, non
est idem.

*Carne lupus vesci Pastoris vidit ovillâ
Fortè domi, accedens, hos dedit ore sonos.
Hoc ego si facerem, vah ! qua trepidatio vobis
Esset : Idem non est, cùm faciunt duo idem.*

Sycor

203

Sycophanta.

*Cætera cum dentis noceant animalia morsis,
Lingua unus morsu cur sycophanta nocet?*

204

Ex verbis Siracidæ

cap. 35.

*Quæ sursum tendit, cælosq; aqua scandit in altos?
Quæ pluit è vidua nempe aqua salsa genis.*

205

Homerus cæcus.

*Duplo plus aliis sapientes cernere doctos:
Qui probet exemplo, cæcus Homerus erit.*

206

Ex animo possidentis bona
æstimanda.

*Non magni est faciendus honor, non gloria, non res:
Sed mens quæ rectè dotibus his fruitur.*

207

In Crispinum quendam, novo
artificio tonsum.

*Te quoties video solum, Crispine, sedentem,
Non unum credo, tres sed adesse viros.
Namq; capillitiis, mirè per tempora pexi,
Hirtior hinc exstat cirrus & inde tibi.
In medio tonso cum verticis area crine,
Forpice ab artificis sit cute glabra tenus.*

K 3

Geryo-

*Geryones puto talis erat, vel Cerberus olim;
Namq; erat hicce triceps; ille tricorpor erat.*

208

Ex verb. Lucii Apol. 3.

*Uber ubi est, ibi tuber adest: dolor atq; voluptas
Sunt comites non est mel sine felle diu.*

209

In Sacra Biblia, Georgii Comititis
Oldenburg & Delmenh. ma-
nu descripta.

O Comes ô comitis descriptaq; Biblia dextra;

*Quo vos ore canam quo metro ad astra veham?
Vos ego, Pontificis quotquot sacra scrinia servant,
Longè Relligionis anteferenda puto.*

210

Ex verbis Erasmi Rote-
rodami.

*Frigora post hyemis ver dulce recurrit & aestas:
Post senium sed non ulla juventa redit.*

211 Johannes XVI. Comes Olden-
burg. Lutheri Catechesin, depositum
eximium, subditis suis, serio adfe-
ctu, & piissimo zelo com-
mendans, &c.

*O decus, ô pietas, ô zelus, ô entheus ardor
Numinus; ô vera Relligionis amor:*

Scibi.

Scilicet hæc Patriæ sunt facta decencia Patrem :

Est nota Pastoris scilicet ista boni.

Nobile depositum verbi cælestis amare ;

Et sacra cum doctis templa fovère Scholis.

Quin etiam prohibere lupos ; seroq; nepoti

Tradere sana, velut lampada, verba Dei.

Hæc tua facta comes generose, decusq; perenni

Posteritas hominum laude per ora vehet.

212 **Amissa plærumque desi-
derata.**

Discimus, hei ! tandem quæ chara fuère, carendo :

Suntq; erepta oculis grata ; neglecta prius.

213 **Ex verb. Senecæ.**

Hic, tibi qui occurrunt, si credis vultibus, erras :

Vultus adest hominis, belua inest animus.

214 **Crocodilus.**

Flere hominem lachrymis Crocodilus fertur obortis,

Quum videt ; inimici quem tamen ore vorat.

Quàm toto mos iste frequens Crocodilinus orbe est ?

Quàm falsis oculi sæpè madent lachrymis ?

215 **In Proditorem.**

Prodere qui innocuum, qui perdere queris amicum,

Qui Judæ spiras pectore & ore minas :

Ne quoq; participes olim mercedis Iüda,

Atq; tibi accersas tristia fata, vide.

216

In Detractorem.

Cur toties blando sub amici schemate fallis?
 Vulpe sub astutâ cur tegis arte lupum?
 Nil nisi vox fratrem sonat, hostem res probat acrem:
 Agnus es exterius, anguis at interius.
 Mel geris ore tenus; tibi felle cor innatat atro:
 Ante oculos ovis es, post mea terga leo.
 Dissereant lingua, qui melq; merumq; propinant,
 Dira venenato corde aconita fovent.

217

Ex Plutarcho.

Cur Picam voluit tibi, Bacche, dicare vetustas?
 Garrulitate strepunt Pica, ebriusq; pari.

218

Mores corrupti se-
culi.

Victa gemit pietas, probitas quia ficta triumphat,
 Torquet corda dolor, cum sit ubiq; dolus.
 Vultus amicitiam praefert, vox spondet amorem,
 Cor sapit invidiam, mens struit insidias.
 Lingua in melle natat, sed felle cor aestuat intus,
 Dejeret & si quis, pejerat ille tamen.
 Ergo vive tibi; neq; cuivis fide, sed antè,
 Ne fallare, fides cui sit habenda, vide.

Mus-

219 Musices Encomium: Inscriptum
libris Cantionum Synodi Mûn-
sterdorffensis.

Orphea, Calliopes genus ad sua carmina quercus
Ductasse, & comites detinuisse feras;
Fama probavit annos; nec vero abluditur hilum,
Vis delenifica est significata fidis.

Namq; sua hæc mentes dulcedine mulcet agrestes,
Quas rigidis jures quercubus esse pares.

Hæc domat immites animos, hæc barbara mirum
Emollit corda, & non sinit esse fera.

Tristibus hæc eadem medicina est unica; curas
Ejicit hæc mæsto pectore carnifices.

Inq; vicem occulta peritis vi gaudia fibris,
Non sine mellita blanditie, insinuat.

Si lubet experiare licet, modo dulcia cantes
Carmina, quæ sunt his obvia multa libris.

Sive ea sunt quinis, seu vocibus apta quaternis;
Seu sunt octonis vocibus apta cani.

Seu sunt septenis, seu senis vocibus apta,
Sive etiam ternis vocibus apta cani:

Crede mihi, (si ritè canas,) te dulcia tangent
Carmina, & ambrosiis afficiere modis.

220 De Gallo meo gallinaceo, ante fo-
res Musæi excubante.

Martius ante meum conclave quod excubat ales,
Qui veniente die, qui fugiente canit;

K 5

Ne tibi

Ne tibi sit mirum. Si rusticitatis id esse
 Credideris, cæcus falleris, indicium.
 Hic olim Caipha Solymæi Præfulis ales
 Ædibus, excubitor nonnè Canorus erat?
 Qui cantu Petrum monuit de crimine, & Judis
 Elicuit salsa ex oculis lachrymas?

221

Samson, Judic. 16.

Qui potuit fremitus superare minasq; Leonis:
 Non Dalila gemitus ferre precesq; potest.

222

Arboretum.

Hortorum facies, & amœni gratia ruris,
 Me capiunt variis afficiuntq; modis.
 Namq; modo eliciunt suspiria cordis ab imo:
 Mox vice qua versa jam procul esse jubent.
 Nam simul ac pulchra contemplor in arbore mala;
 Suspiro, & lachrymis ora, sinusq; rigo.
 Scilicet illius sic mali occurrit imago;
 Unde fluit nobis omnis origo mali
 Cum mille - artificis plectus fraude colubri,
 Arbore de vetitâ Mala male edit homo.
 Mox ubi digressus Malis Pyra dulcia gusto;
 Hæc Evangelium dulce referre puto:
 Quo contriturus promittitur ora draconis,
 Immanuel purâ virgine natus homo.
 Post Cerasa ut roseo contrecto rubentia succo;
 Purpura ceu veri sanguinis unde fluit:

Cernis

Cernere tūm videor mihi sanguinis illius undam ;
 Vulneribus fluxit qui , pie Chrīste , tuis.
 Cūm pro me caderes crucis hostia casus ad aram :
 Immeritā ut lueres crimina nostra nece .
 Persica quin porrò si mala fugacia specto :
 Viva mei spectem quòd simulachra , puto .
 Illa brevi siquidem ceu tempore mala putrescunt ;
 Sic ego ; sic subitò putrescit omnis homo .

223 Hirudo, Proverb. 30.

Infelix sobolem produxit Hirudo gemellam,
 Nomen idem jussu cui genitricis inest.
 Dicitur hac Adfer , simul altera dicitur Adfer,
 Hei mihi , neutra harum quod Cape nomen ha-
 bet :
 Dic age , qui mores pereuntis dispicis orbis,
 Prorsus & in præcep̄s quælibet ire doles :
 Ecquid Hirudo suā non est cum prole , ruentis
 In pejus mundi viva sat effigies ?
 Vita quid est hodie , nisi da quid & Adfer & Adde ?
 Per fora , templa , domos vox ea sola sonat .

224 In Zelotas , veræ Religionis
turbatores.

Pessime , quid vitium virtutis nomine pingis,
 Dum zelo fingis te pietatis agi ?
 Nam tua , queis Christi turbas Sacra , facta meren-
 tur,
 Non Zelus dici , sed Scelus atq; nefas .

225 REGIO & RELIGIO, per
omnes casus Declina-
tionis.

In Apostatam.

Dic mihi, cur vera de Relligione recedas?

*N. Quàm tibi Relligio gratior est Regio.
Relligionis opus cur pendis, Apostata, vili?*

G. Nempe tibi pluris fit Regionis opus.

D. Dum Regioni inhias, non parcis Relligioni.

Nec Satana dubitas flectere stulte, genu.

A. Ut Regionem habeas, contemnis Relligionem.

Et cælum vendis, sit modò terra tibi.

V. Vera ô Relligio, gratissima virgo Tonanti:

Non merita es, tibi sic prævaleat Regio.

A. Sed miser est homo, qui queat ut Regione potiri,

De vera ludum Relligione facit.

226 De Æstate & Hieme.

Æstatis per pacta sibi Sponsalia natam,

Conjugio jungi fortè petebet Hyems.

Cùm procus hic retulit pertuso corbe repulsam,

Quod partas esset perdere natus opes.

*Namque Æstas quicquid Ver, Autumnusque lu-
crantur,*

Decoquere una suis mensibus audet Hyems.

Noli

227 Noli tacere.

*Sitacet ad tua vota Deus, nolito tacere :
Nam, ne tu taceas, ipse tacere solet.*

228 Virgo & Virga.

*Virginis & virgæ est permagna potentia : Quem
non*

Virga domare potest, Virgo domare potest.

229 Quis infirmus ma-
ximè.

*Omnes infirmi sumus ; ast infirmior ille est,
Infirmum semet qui minus esse putat.*

230 Ex verb. Senecæ.

*Tàm nemo vivit pauper, quàm natus in orbem est :
Paupertatis onus ferre quid ergò fugit ?*

231 Vindicta optima.

*Si quis ab hoste suo vindictam sumere gaudet,
Contra iram pugnet fortiter ille suam.*

*Hostis hic est anima summus, quem vincere, palma
est,*

Majorem haut alio qua quis ab hoste feret.

232 Homo cinis & pulvis.

*Sis soboles gentis clara licet atq; potentis ;
Quando aderit finis, sis tamen ipse cinis.*

K 7.

Fis

230

EPIGRAMM. PIORUM

*Fis cinis & pulvis, morti cum debita solvis:
Magna quid ergò geris, qui citò talis eris?*

233

Os unum; aures ge-
minæ.

*Cur Deus os unum, geminas tibi contulit aures
Nempe audire decet plurima, pauca loqui.*

234

Consilium ex Psalmo 55.

*Si qua premunt animum curarum pondera; noli
In tacito tecum concoquere illa sinu.*

*Cuncta sed in gremium votis effunde Jehova:
Aut levat, aut lenit tristia fata Deus.*

235

Ex Germanico.

*Velle Dei, est quoq; velle meum; neq; turbor, ocellos
Si fumi nubes mordeat atra meos.*

*Cuncta licet sursum Sors misceat atq; deorsum,
Dextra tamen summi diriget omne Dei.*

*Ille velut fieri vult publica, privaq; fiunt:
Ergò Deo fiat dante, quod ipse jubet.*

236

Pridiè Calend. Ja-
nuarii.

*Ultimus exacti nunc terminus imminet anni,
Per sua puncta novus cras iter annus init.
Christe, Patris summi casta sata virgine proles,
Da, veniat letis annus hic auspiciis.*

Matth.

237

Matth. 19.

*Hic qui pro Christo linquit gazamq³, domumq³,
Illa dehinc capiet centuplicata polo.*

238

Gladius Petri, Matth. 26.

*Qui gladio ferit, is gladio perit: ergo caveto,
Ne gladio ferias, ne gladio pereas.*

239

Per aquas itur in cœlum, Jo-
han. 3. Sirac. 35.

*In cœlum per aquas iter est. Aqua prima lavacri est,
Quo sacrosancta nefas abluit omne Trias.
Altera sunt lachrymæ sua crimina flentis ocelli,
Quæ penetrant, Christi pectus adusq³, polos.*

240

Ex verb. Christi, Luc. 17.

*Nescit amare Deum, qui se non oderit ipse:
Spreverit & totus quicquid hic orbis habet.*

241

Ex verb. Apostoli, E-
phes. 4.

*Si spurcus Flamen contristat sermo Jehova;
Nonne hoc contristet fœda libido magis?*

242

Apocal. 7.

*Felices lachrymæ, felicia vulnera; cœlo
Absterget manibus quæ Deus ipse suis.*

Apo.

243

Apocal. 12.

*Si nos accusat falso de crimine demon:
De vero tandem crimine quid faciet?*

244

Apocal. 14.

*In Domino si non quis vixerit ante fidelis;
In Domino poterit quavatione mori?*

245

I. Corinth. 3.

*Plantavit Paulus, plantata rigavit Apollo:
Neuter at augmentum, sed Deus ipse, dedit.*

246

EPITAPHIUM

*Reverendi, Clarissimiq; The-
ologi M. Johannis Vorstii: Præpo-
siti olim Haterslebiensis, Itzeho-
ënsis, & Segeber-
gensis.*

Ante fores templi, qua Vorstius ire solebat

Quotidiè, posuit corporis exsuviâs.

Spiritus ad superas è corpore transiit arces;

Ante Dei faciem nunc ubi latus agit.

Gesta viri quaris? Non hoc capit omnia saxum:

Sunt totis texti hæc digna voluminibus.

Sparge

*Sparge manu violas : superingere dona Rosarum :
Talia, qui cubat hic, munera promeruit.*

247 *Cum ejusdem Clarissimi Senis
Exsuviae tumulo conde-
rentur.*

*Si decet in patrio lachrymari funere natum,
Nunc quoque me lachrymis ora rigare decet.
Nam patrio vivus qui me complexus amore est
Vorstius, hac gelida contumulatur humo.
Longaevis seros qui vivere Nestoris annos
Dignus erat, meritis et pietate sua.
Qua me, qua quotquot norat pietatis amantes,
Arsit ad extremum funeris usque diem.
Ha, Pater, Ha, Patrone! tui si secula nobis
Ulla parem referant; aurea secla vocem.
Aurea secla vocem? immo gemmea secula, gemmis
Aut si quid caris carius esse potest.
Sit tibi terra levis: tibi sit sine pondere arena,
Hoc subter saxo quae tua membra teget.
Sint tibi spirantes Croci in urna, et perpetuum Ver:
Ossibus hi cineres thurea grana tuis.
Et tu qui tumulum facis, hoc suspiria busto,
Et lachrymas una defode, queso, meas.
Ac tumulo has inscribe notas: Cum Vorstio Alar-
dus
Condidit hic luctus Symbola certa sui.*

Epita-

248 Epitaphium Pauli Evandri: Epicharmi olim Scholæ Crem-pensis.

*Qui jacet hic, pueros docuit bona multa: sit illi
Tantis pro meritis gratia magna SITO.*

249 Ex verb. Augustini, & Lu-theri.

*Sedibus in superis major nequit esse voluptas,
Quàm faciem summi cernere posse Dei.
Quin ibi momento Christum spectare vel uno,
Delitiis majus totius orbis erit.*

250 Omnia degenerant.

*Quid pluvias querimus, mediâq; æstate pruinas?
Frigoraq; & mistas grandine vere nives?
Degenerant homines, Pietasq;, Fidesq; refrixit;
Torpet amor, lites, frausq;, dolusq;, vigent.
Degenerare igitur partes miraberis anni?
Aut pro rore nives? proq; calore gelu?*

251 In eos, qui de malis, & molestiis hujus vitæ conquerruntur.

O meri-

*O meriti graviora, dabit Deus his quoq; plura:
Nā vitam in melius vertere quisq; volet.*

252 *Judices δωροφάγοι.*

*Hei quoties Judex turpi sit crimine Judas:
Vendit ubi infontem proditor are reum.*

253 *Bona vitæ hujus & post-
humæ.*

*Quæ bona miratur mundus pretiosa, supernis
Sunt collata cinis, pulvis & umbra, bonis.*

254 *Mors defunctorum non
atra, sed alba pio-
rum.*

*Ne mortem in Christo morientis dixeris atram:
Morte hæc candidius cum queat esse nihil.
Hæc siquidem ad veram est tenebroso è carcere lu-
cem*

Adq; diem Solis non obeuntis iter.

Ad Re.

255 *Ad Reverendum, Doctissimi-
mumq; virum Dn. Matthiam Clo-
dium, Praepositum Itze-
hoënsen.*

*De Divi Lutheri imagine pictâ, in
mediis flammis, tota domo, cujus pa-
rieti inserta erat, confla-
grante illasâ.*

*Peniculo artificis facies augusta Lutheri
Stabat in adspicuo pariete picta domûs.
Stera Pater refluis ubi circuit, & secat undis,
Atq; urbem, atq; agros, Itzehoea; tuos.
Mira cano, sed vera cano: quæ cominûs hisce
Visa oculis mihi sunt; visa aliisq; suis.
Flamma domum in cineres vertit, qua picta Lu-
THERI
Effigies haesit pariete fixa suo.
Dum latè totis serpunt incendia tectis,
Et flamma reliquas depopulantur opes:
Sola illæsa manet, nec aduritur igne tabella.
Quæ faciem exhibuit, dive Luthere, tuam.
Scilicet in cineres quæ cætera cuncta redegit,
Erubuit vultus ledere flamma tuos.*

Nonne

Nonne probas, Clodi Mysta ô venerande Jehova,
 Quæ cano? Nonne oculis sunt ea visa tuis?
 Certè etiam tecum tota Izehoea fatetur;
 Fingere me nihil hîc, sed mera vera loqui.
 Auguror inviolata etiam sic dia Lutheri
 Hæresin contra scripta futura faces.

256 Thalamus sine conjuge
 tristes.

Quod sine Sole dies, quod sunt sine sidere noctes;
 Id sine dilecta est compare sola domus.

Quod sine fronde nemus, quod sunt sine flore roseta;
 Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Quod sine silva comis, quod sunt sine vitibus ulmi;
 Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Quod sine luce focus, quod sunt sine manibus urbes,
 Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Quod sine cella seris, quod sunt sine sepibus arva;
 Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Quod sine rivus aquis, quod sunt sine piscibus unda;
 Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Quod sine currus equis, quod sunt sine remige pup-
 pes;

Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Quod sine germine ager, vel quod sine campus arti-
 stis;

Id sine dilecta est conjuge sola domus.

Tha-

257 Thalamus cum conjuge
dulcis.

Quod cum Sole dies, quod sunt cum sidere noctes,
Id cum jucunda est conjuge lata domus.

Quod cum fronde nemus, quod fœtaq; floretoseta:
Id cum dilecta est conjuge lata domus.

Quod cum silva comis: quod juncta vitibus ulmi;
Id cum fœcunda est conjuge lata domus.

Quod cum luce focus quod cincta mœnibus urbes,
Id quoq; cum casta est conjuge grata domus.

Quod cum cella seris quod cinctaq; sepibus arva;
Id quoq; cum placida est conjuge grata domus.

Quod cum rivus aquis, quod sunt cum piscibus unda;
Id quoq; cum chara est conjuge grata domus.

Quod cum currus equis, quod sunt cum remige puppes
Id quoq; cum grata est conjuge grata domus.

Quod cum gramine ager quod plenus campus aristis:
Id quoq; cum placita est conjuge grata domus.

258 Ex verb. Johan. Climaci.

Nemo oculo cœlum simul & solum ut adspicit uno:
Nemo simul mundum sic amat atq; Deum.

259 Ex verb. Isidori.

Vita quid hic hominum est, nisi Scylla, & vasta
Charybdis?

Utraq; naufragii seva minaxq; metu?

Nulla sed est tibi Scylla, nec ulla timenda Charybdis

Navigii Christus si Cynosura tui est.

Ex verb.

260 Ex verbis Radulphi
Ardent.

*Quot peccata hominis regnant in corde, tot ipse
Damoniorum etiam subjacet imperio.*

261 Minus & Nimis.

*Ne iudex faciat nimis, aut minus usq; cavebit:
Peccat utroq; minus, sive nimis faciat.*

262 Ardua virtutis via, Symb.
A. V. V.

*Ardua virtutis via, sentibus aspera multis,
Deses ab Aoniâ submovet arce pecus.
Qui cupis ergo viam Virtutis inire, laborem
Ne fuge: sed valido nitere ad alta gradu.
Sic via qua adscensu visa est nimis aspera primo;
Te placida tandem ducet ad astra via.*

263 Nitere qui vis Nitere.

*Nitere conando si vis aliquando Nitere:
Nec fuge deses Onus, si tibi gratus Honos.*

264 Ad Deum Opt. Max.

*Alme Deus, qui cuncta animas, animataq; pascis,
Qui largâ reficis bruta hominesq; manu.
Gratia sit tibi quod, qua postulat esus & usus,
Largiter ad vitam hanc das mihi, dasq; meis.*

Te pro

Te precor, o alios larga quoq; pascito dextra,
 Quos premit imprimis hic alibiq; fames,
 His tibi pro donis nobiscum dicere grates,
 Ut studeat pulsa quisq; fame atq; siti.

265

Ex verb. Origenis.

Cum tua Tartarei sint crimina vita draconis;
 Sintq; eadem stygii potus & esca lupi:
 Peccatis posthac nobi hunc nutrire colubrum;
 Ne sis aeterna causa tibi ipse necis.

266

Ex verb. Augustini.

Nemo ad divinas adeo propè pervenit aures,
 Quam sua corde pio crimina qui flet homo.

267

Calend. Januar. Anno 1616.

ad D. Casp. Mat-
thiæ.

Sidere felici veterem finivimus annum:
 Gratia sit summo, qui regit astra, Deo.
 Faxit is, ut novus hic, exorsi quem sumus, inde
 Felici sveltum tramite currat iter.
 Utq; tibi, atq; mihi, nostraq; utrinq; marita,
 Sit felix, supera donet ab arce Deus.
 Quin, si quid mea vota valent, precor; annus hic al-
 mum
 Sidere felici portet ab axe diem;

Quo

*Quo tibi, quoq; tua tener infans ludat in ulnis;
Qui vestri germen sit geniale tori.*

268 Ex verb. Varronis Eumenid.

*Non sic infandum quicquam quid somniat ager;
Patronos quod non Philosophos habeat.*

269 Ex verb. Nazianzeni.

*Aurum habeant alii, lautave cupedia mensa:
Atq; in deliciis quicquid hic orbis habet.
Texta alius Serum pretiosa, solive feracis
Fugera, quadrupedum possideatve greges.
Sed mihi divitia Christus: modo corde fidelis
Hunc habeam; Mundus cetera cuncta habeat.*

270 Ex verb. Augustini.

*Se multi in scelerum caeno foetente volutant;
Cinnami, & unguenti sit quasi gratus odor.*

271 Ad virum Reverend & Clariss.
Dn. Johannem Georg. Volckmarum SS.
Theol. D. & in Acad. VViteb. Prof. Publ.
p.m. Cùm de Judicio extremo carmen
in Audit. majori recitaturus es-
sem, Anno 1595.

*Doble vir, eximio Praceptor honore colendus,
Volvere cui assiduâ est Biblia cura manus.*

L

Eloquio

Eloquio Christi qui pascis ovile disertus;
 Et rectam monstras sidera ad alta viam:
 Cras ubi dimidia lux est transacta diei,
 Primaq; post mediam venerit hora diem:
 Lux ea, qua terris veniet postrema, canetur:
 Et quæ damna malis, quæ bona parta piis.
 Si vacat, & sancta patiuntur talia Musa:
 Publica digneris pulpita adire, precor,
 Si facis id, memori benefactum hoc mente fovebo:
 Atq; hora officium quaq; vovebo mecum.

272

Epitaphium

Clarissimi, Nobilissimi, Doctissi-
 miq; viri, Dn. Joannis Schofferi Æmi-
 liani, Consilarii Brandenb. P. L. in
 Academia Viadrina olim,
 Prof. Publ.

Hac Janus dormit Schofferus conditus urnâ:
 Hac urnâ dormit sed neq; fama viri.
 Nam volat hac penna solvi metuente per orbem,
 Qua Phæbi & Charitum Musica regna patent.
 Æquavit siquidem Nasonem carmine, si non
 Carmine Nasonem vel superâsse putes.
 Unde Poëtarum Princeps, Consorq; Sabinus,
 Aula Palatinum quem Laterana tulit,
 Hunc Lauru voluit Daphnëide cingere vatem:
 Quin quoq; Laurigero nomen Equestre dedit.

Nempe

Nempe viri virtus id doctaq; metra merebant :
 Artium & omnigenis pectora facta bonis.
 Quisquis adis tumulum, sere lilia pulchra viator;
 Et dic Schofferi molliter ossa cubent.

273 Ad Virum Clar. Fridericum
 Taubmanum.

Plus satis antè tibi, Taubmane, molestus Alardus,
 His quoq; versiculis num gravis esse velim;
 Fortè rogas, meritoq; rogas; quod & ipse negatum
 Non eo: rem recta si reputâro viâ.
 Me tamen audacem tua reddit amica voluntas,
 Et propensa animi plurima signa tui.
 Queis mihi testatum toties aliisq; dedisti,
 Quàm prodesse piis discupias studiis.
 Entheus imprimis animat queis carminis orsum
 Spiritus; & summi numinis igniculi.
 Quin trepida ingenium nostra super omnia Musa,
 Perneget absq; tuo calculo abire foràs.
 Namq; pia quamvis sibi conscia simplicitatis,
 (Si mentem spectes) non tremat, aut titubet.
 Plena tamen ruris, procul & Permesside lymphâ,
 Sideris Arctoi sub propiore gelu,
 Alget; & hinc fundit titubantia verba, sonoq;
 Agresti patrium sapè idioma refert.
 Fortè etiam interdum non auribus apta Latinis,
 Ocyus ad limam qua revocanda, sapit.
 Quare submisso venit ad tua limina vultu,
 Sedq; tuo totam subjicit arbitrio.

*Si faveas ; parat aprica se credere luci ;
Si damne ; atris mergere se tenebris.*

274 Ex verb. Augustini.

*Serpentum quisquis spectabat ahenum in Eremito ;
Dipsadis à diro vulnere sanus erat.
In Cruce sic fidei Christum qui cernit ocellis,
Redditur à scelerum vulnere sanus homo.*

275 Ex verb. Bernhardi.

*Hereat usq; tuo Crucifixus pectore Iesus ;
Deq; tuo haud ejus corde recedat amor.
Hic tibi sit cibus, hic potus, dulcedo perennis :
Hic desiderium sit tibi, melq; merum.
Hic tibi lectio sit , tibi sit meditatio ; Iesus
Mors tua , & in media sit nece vita tibi.*

276 *Tumulus,*

*Gvalpurgidis Alardi , foeminae pi-
entissimae ; conjugis meae desidera-
tissimae : fel. memoriae.*

*Hoc sita sunt nostra Gvalpurgidis ossa sepulchro :
Pars ista. hei, cordis dimidiata mei.
Qua qualis fuerit, mihi quam dilecta ; suisq; :
Quam pietatis amans, quamq; pudoris amans :
Quamq; expers fuci , quamq; expers fellis amari ;
Quam fugiens litis, quam studiosa mei :*

Non

Non saxum capit hoc : sunt ista Deoq; mihiq;
Nota ; simulq;, quibus nota erat illa , bonis.

277 Ad Exsuvias ejusdem.

Exsuvias dulces ! viva qua templa fuistis
Numinis ; & veri nobilis aula Dei :
Mole sub hac tumuli placide requiescite ; donec
Christus ab aetheria venerit arce redux.
Et tumulo qui vos revocatas , inferet astris ;
Angelicos inter constituetq; choros.
Et mihi vos reddet , vobis me reddet , ut alter
Serpat in amplexus latior alterius.
O ea lux veniat ! Gemitus hac finiet omnes :
In solida & vertet gaudia tot lachrymas.

278 Ad Viatorem.

Quisquis ades , templiq; subis penetratia Crempis
Sacra oculis iustres ut ~~in crempis~~
Siste gradum , quando propè cominibus adspicis aram :
Hic sita sunt tumulo conjugis ossa mea.
Nam quâ parte soli nostra Gualpurgidis olim,
Quando mihi juncta est sponsa ; steterè pedes :
Hac ea parte soli post fata sepulta quiescit ;
Donec ab hac summa luce resurgat humo.
Sparge rosis tumulum , violisq;, thymoq;, viatorq;
Et sere non parcâ lilia pulchra manu.
Dona cinis mersit nostra Gualpurgidis ista :
Sic viola similis sic erat illa Rosa.

279 Ad tumulum Gualpurgidis
Alardi p. m.

*Nobile cum lachrymis hoc semen conditur arvo:
Reddat at id multo faenore summa dies.*

280 Epitaphium ejusdem.

*Quo monumenta tibi, conjux dulcissima, ponam
Marmore? qui poliant marmor id artifices?
Atq; tuum, atq; meum liquido ut testentur amorem?
Et desiderii sint rata signa mei?
Quam vellem! sed tota Paros nec ad hoc opus un-
quam
(Optima qua mittit marmora) sufficeret.
Nec caelum artificis! Quamvis, Polyclete, resurgas;
Aut ars Phidiaca sit rediviva marmore.*

281 Ad Christum.

*Cum morte placida filiolum Caspa-
rum repeteret.*

*Quem dederas natum reddo tibi, Christe, datori:
Nempe datus tali lege erat ipse mihi.
Sed tamen hac quoq; lege datum tibi, Christe, redono:
In caelo ut reddas hunc aliquando mihi.
Non qualem tibi do; pallentem nempe, sed inter
Illustrem caetus, sidus ut, angelicos.*

Tumu-

282

Tumulus

Friderici Taubmani viri Clariss.

*Ille Poëtarum Princeps, & gloria Phæbi,**Eois notus notus & Hesperius:**Exsuvias tumulo Taubmanus condidit iste,**Mens rediit superas, unde profecta, domos,**Summi ubi conspectu fruitur sine fine Jehova,**Et canit angelicis júbila juncta choris.**Sparge manu violas, sere lilia pulchra, viator,**Adde thymum, plenis adde rosas calathis.**Qui jacet hic, meret ista; viri fragrantius omni**Namq; Rosa & Viola fama superstes olet.*

283

De Jacobo Struckio, Cantore

VVylstriensi, cum cantu

expirante.

*Fama Cygnum cantare refert sub funeris horam,**Et dare dulcisonos longa per ora modos.**Audiit in vita tamen hunc quia nemo canentem,**Num canat, incertum est, mortis in articulo.**Struckius in vita dulci modulamine notus;**In media cantat morte, polumq; subit.**Angelicos inter Cantores nunc ubi summum,**Voce canit nunquam deficiente, Deum.*

L 7

Aliter.

Aliter.

Qui cantu toties alios demulserat ante,
Cum cantu vitam finit, & astra subit.

284 Veri Deus autor amoris.

Non homo corda ligat; Deus est, qui pectora jungit,
Junctaq; constanti fœdere corda beat.
Qui venit à Veneris, Cæciq; Cupidinis arcus,
Exiguo instabilis tempore durat amor.
Sacra fames auri, res amplaq; divitis arca,
Quem generant, ardor, re pereunte, tepet.
Nec facies si quos, & pulchra gratia formæ
Junxerit, est omni tempore firmus amor.
Formæ bonum fragile est; aurâq; fugacius aurum;
Cumq; sua Venus est nomen inane facit.
Quos Pietas, summi & Reverentia Numinis unit,
Hos Deus ipse jugat, diligit atq; fovet.

285 Ad Clar. V. Martinum Fabricium;
Medic. Doctorem Præstan-
tiss. P. L.

Nec satis ergò tibi est Hippocratis, atq; Galeni,
Atq; alia adsidua volvere scripta manu?
Nec satis agrorum præscribere pharmaca morbis?
Et propira remoram conciliare neci?
Sed Medicis melicas gaudes quoq; jungere curas,
Et dare pangendis otia carminibus?

Sunt Satyræ testes, medica quibus armat in artis
 Te corruptores Delius ipse Pater.
 Nec Satyræ tantum, docti teretesq; Phaleuci
 Sed quoq; te Musis sepè litare probant.
 Nempe Evangelici, sva vissima metra, Phaleuci,
 Queis Jesum & Jesu facta stupenda canis.
 Et simul ad summum pia vota, precesq; Jehovah
 Qua cum fruge aliis sint imitanda, prais.
 Prodite aureoli, Sacri prodite Phaleuci,
 Vos lustrare oculis gestio, ferre sinu.
 Vos quoq; mordaces Satyræ prodite; caterva
 Tot medicastrosum hoc indiget Helleboro.

286 Ad virum Prudentissimum
 Dn. Casparum Matthiæ, Senatorem
 VVylstriensem nuper designa-
 tum, An. 1617.

Vidit ut imperii generum sub mole gementem
 Jethro, & jus tota dicere lucereis:
 Utile consilium dedit, ut sibi jungeret ipse
 Justitia celebres & pietate viros.
 Qui secum populo jus possent dicere; solum
 Ne nimia oppressum mole gravaret onus.
 Amramides paret; simul & se mole laborum,
 Pondus id imponens pluribus, ipse levat.
 Sic fit adhuc: Oneri in perii non sufficit unus,
 Ergò nec illud homo sustinet unus onus.

L 5

Sed

Sed plures subeunt onus aequis viribus unum: „

Sic levius (per se quod grave) fertur onus. „

Isti oneri quoq; te legit, Caspare, ferendo,

Qui Patria curam sustinet, ordo patrum.

Quin Deus ipse per hos oneri te subdidit isti:

Et curam iussit Publicæ habere Rei.

Gratulor ergò tibi, Patriæq; precord; Jehova

Munus ad hoc te animæ spiritum ut ipse suo.

Et quia de Curis sortita est Curia nomen, „

Cura Magistratum nec gravet una pium: „

Ipsè Deus te sub curarum mole gubernet;

Inviçtus curis ut superesse queas.

Quod faciet, si prima tibi sit cura s. crorum:

Si fuerint cordi templa scholæq; tibi.

Hinc & egenorum curam, curamq; reorum,

Patronus rarò queis solet esse, geres.

287 Ad Dn. Samuelem Rosenbomium
P. L. virum Clariss.

*Quo-tandem-usq; taces, Rosebomi lauriger, ecquid
Carmina perpetua nocte sepulta premes?*

Quæ Solis radios, & spicula clara diei

Digna subire; domi quid tamen illa latent?

In quibus & Charites, Horæq; Novemq; Sorores

Abluere ambrosias expetiére manus.

Euclio dives erat, sed dum terra obruit aurum

Sordidus atq; tenax, nonne malè audit homo?

Et tu Museum qui parcior oculis aurum,

Te tamen impunè hoc posse tulisse putas?

Edo

Ede foras, jam septennis quod cura polivit,
 Et rosos ungues quod sapit, ede foras.
 Nec porro longas, quod sapè minaris, in horas
 Differ, habent longæ tadia multa mora.

288 Ad Magnific. & Clariss. virum Dn.
 Christianum Theodorum Schofferum
 Æmilianiaden; Philos. & Med. D.
 Com. Palat. in Borussiam
 abeuntem.

Prussiacas felix pergat Schofferus ad oras:
 Celsa ubi Mons tollit Regis ad astra caput.
 Pergenti Angelica cingant latus omne cohortes,
 Res proficiscenti nulla ut obesse queat.
 Et memor esse velit semper Schofferus Alardi,
 Schofferi memor ut semper Alardus erit.

289 In ejusdem effigiem.

Artificis faciem Schofferi dextera pingit,
 Pingere Schofferi sed nequit ingenium.
 Ingenium pingit Schofferi Musa disertis:
 Carminis, & varia peniculo historia.

290 In ejusdem effigiem.

Pingere Schofferum quis vult? volo. Pingere Maro-
 nem:

Pinxi; Nasonem pingito: piælus adest.
 Pingito & Hippocratem! pinxi. Pedalirion adde:
 Additus est. Piætas Livius adest: adest.

*Omnia nunc formam si mifces, pictor, in unam :
Schofferi effigies eſt tibi picta mei.*

291 Ad Dn. Benedictum Luth-
kenium.

*Deſidis eſt reſidere domi, tenebrisq; Vacunæ
Condere ſe. Et patriis cedere nolle focis.
Nec quemquam aut quosquam ſe præter noſſe, ſuosq;
Ruris et unius jugera ; parva anima eſt.
Contra, quos animat vis indolis acrior alia,
Quos virtutis amor, Pieridumq; trahit :
Hi motu gaudent ; Cæloſq; imitantur ; amantq;
Perluſtrare alio quæ loca Sole calent.
Ut varios hominum valeant cognoſcere mores :
In vita poſſint quæ ſpeculi eſſe vice.
Quo, ſibi vitatu, factuq; quid utile, diſcant,
Et forment mores in meliora ſuos.
Excitat hic animus quoque te, Benedicte, Roſa-
rum.
Ut pede non ſegni culta vireta petas.
Culta vireta, novem turba celebrata Sororum ;
Quas Huſvedelius nunc meus inter agit.
Maſte iſt hoc animo ; maſte his Feliciter auſis,
Haſq; implere minas ſidere perge bono.*

292 Ad Lectorem meum.

*Jurgia delectent alios, rixaq; libelli
Sunt ſine dente mei, ſunt ſine felle mei.*

Interio-

*Interiora habitat nostri qui pectoris hospes
Christus, is in lingua est, in calamoq; foris.*

293 **Avaritia: Ex verb. Chryso-
stomi.**

*Crimen avaritia fuge, furis ad instar; ad instar
Effuge latronis crimen avaritia.*

*Namq; tuo centum quamvis vectesq;, serasq;
Thesauro ponas; milleq; claustra pares;
Prodiget illa tamen centenis abdita cellis;
Et bona mille seris condita diminuet.*

*Nam quod avaritia corradis; id omne, Aquilinis
Par pennis, reliquas depopulatur opes.*

294 **Ad Christum crucifixum.**

*CruX tua, Christe, mea est: quia qua mihi perdita
pridem*

Vita, salusq; tua est reddita, Christe, cruce.

CruX mea, Christe, tua est: quia cuius pondera possum

Non ope ferre mea, das ope ferre tua.

Ergo nec imposita pondus crucis horreo: quando

*CruX tua, Christe, mea est: CruX mea, Chri-
ste, tua est.*

295 **Ad animum meum.**

Mens, quid adhuc mea serpis humi? terrena relinque,

Teq; supra mundum vanaq; cuncta leua.

L 7

Hospes

Hospes es hinc : misero captiva teneris in orbe,
 Pressa gravi exilii, servitiiq; jugo.
 Quo prater lachrymas nihil & suspiria longum est;
 Quo nihil est prater gaudia vera breve.
 Patria vera tibi caelum est; aeterna voluptas,
 Et mera ubi nullo gaudia sine vigent.
 Huc spira; huc propera, noctesq; diesq;, relicto
 Pistrino hoc tandem donec ad astra voles.

296 Spes mea, Job. 9.

Unica spes misero superat mihi rebus in arctis,
 Qua miserum in mediis me vetat esse malis.
 Nempe meus scio, quod vivat, valeatq; Redemptor,
 Qui Necis & Stygii contudit ora lupi.
 Hic me de terra revocabit pulvere, & Ithos
 Carne sua Corpus vestiet atq; cute.
 Hisq; Oculis summum dabit adspectare Jehovaham,
 Quem coram vultu hoc Iple videbo meo.
 Ista mihi spes est in me inscripta medullis:
 Hac miserum in media me vetat esse nece.

297 Votum, pro salutari migratione
ex hac vita.

Hoc ego pra votis, rogo te, Pater, omnibus unum:
 Unum hoc pra cunctis tu, Deus alme, dabis.
 Scilicet, ut vita cum terminus imminet acta,
 Hinc dones placida morte migrare mihi.
 Idq; tui propter morientis vulnera Nati;
 Qui mortem voluit vincere morte sua.

Aliter.

Aliter.

Unum est præcipuè quod te peto, summe Jehova;
Hanc mihi des vitam claudere sine bono.

Aliter.

Omnia tunc bona sunt, bona quando est clausula:
Vita

Ergò fac, ut bona sit clausula, Christe, mea.

Aliter.

Hæc est votorum, Jesu pie, summa meorum:
Sit mihi summa dies grata, & amata quies.

298 Ad Jesum Christum: Ne imparatus à morte præveniar.

Cùm sit certa quidem Mors; nec tamen hora sit ulli
Cognita; qua vitæ stamina Parca secet.

Atq; ita momento hæc meditanda sit omnibus omni;
Sapè etiam obrepat præmediata minis.

Christe, fac, ut Mortis mea sit Meditatio vitæ:
Atq; ut ad hanc studio præparer usq; pio.

Occupet incautum ne me illa; sed antè paratum
Inveniat; placido meq; sopore beet.

299 Mors piorum.

Non anima est Obitus, pia mors, sed ad astra mi-
grantis

Est Abitus, simul ad gaudia vera Aditus.

Ad Je.


300

Ad Jesum Christum.

*Hanc animam misero migrantem è corpore, Jesu,
Reddo tibi: ô, manibus tua sit illa tuis.
Donec eam, quo nunc cedit, cum corpore jungas;
Ætheria judex quando eris arce redux.
Illa tuo interea conspectu læta fruatur:
Tuaq; sub tumulo corporis ossa cubent.*

F I N I S.





✓
J. 12

ULB Halle
006 555 977

3



VDA

